BREUICULUM DE VITA ET REBUS GESTIS FRANCISCI DE STANNO...

Jean Baptiste Beau, Gilles Lacarry

Digitized by Google

1 BVEE046162

2 46164

3 SBLE010179

4 46165

5 NNCE 012855

1. Breviculum de vita et rebus gestis Fr
cisci de Stauno Episcopi Aucklenensis. C
romondii 1660.

2. Bonacchi Franciscus. De Sermonibus
Martyrio S. Zenonis Epi Veronensis
libri duo. Item di Dissertatio de Martyri
tulo a S. Greg. Magno S. Juvenali Ep
Narniensi tributo. et in Du-Sinu
Joan. Jejunatore Note. Pistorii 17

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

3. Mattei A. Historia della morte di En
IV. Re di Francia. Tradotta dal Fra
Viterbo 1612.

4. Roque François. Recueil des vertus
de Entrechaux. Avignon 1710.

5. Silvestris Florido de. Discorso sul m
tirio e morte di Guglielmo Cartar
patore di libri in Londra. Viterbo

1. [illegible]

2. [illegible]

3. [illegible]

4. [illegible]

5. [illegible]

1558

BREVICVLVM

DE VITA ET REBVS GESTIS

FRANCISCI DE STANNO

EPISCOPI OLIM RVTHENENSIS

in Gallia.

Ad Summum Eccleſiæ Vniuerſalis Pontificem

ALEXANDRVM SEPTIMVM

CLERI ET POPVLI RVTHENENSIS

Nomine.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CLAROMONTI,

Apud NICOLAVM IACQVARD, Typ. Regis Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi D. Epiſcopi, Clerique Claromontenſis.

M. DC. LX.

by Google

ALEXANDRO SEPTIMO

Summo Eccleſiæ Catholicæ

PONTIFICI.

SISTIT *ſe, jam rediuiuus* FRANCISCVS DE STANNO, *ad Sedem Apoſtolicam, ad quam olim dum mortalis vixit, tranſmiſſus eſt Orator, à Regibus Chriſtianiſſimis. Ille idem, qui ab eadem Sede, regendis Prouincijs præpoſitus eſt Legati vice. Vt jam præjudicatum videri poſſit, de illius meritis, & Pontificio, & Regio calculo. Accedunt populorum*

✠

vota, quæ tot acceptis jam olim ab eo beneficijs, tot etiam quotidie recentibus, dignum aris illum, & publico cultu deprædicant. Eum nempe qui publicus in omnes benefactor dum vixit, etiam poſt mortem non deſinit bene de humano genere mereri. Vox quidem illa populorum, vox Dei creditur; at Dei certò vox erit, poſtquam ad ſanctam Sedem delata, illinc infallibili reſultu, tanquam ab Oraculo, & ex ore Dei, ad populorum aures redibit. Interea, priuatis, & tacitis votis, ſed corde loquaci, & ex intimo animi ſenſu, pro incolumitate, felici gubernatione, diuturnitate vitæ VESTRÆ SANCTITATIS, *Patrono ſuo ſuplicabit*

CLERVS, ET POPVLVS
RVTHENENSIS.

APPROBATIO.

EGO FRATER FRANCISCVS LAVELLE Ordinis Minorum Regularis Obſeruantiæ, facultatis Pariſienſis Doctor Theologus, & Conuentus Claromontenſis Guardianus, Libellum, cui titulus eſt: *Breuiculum de Vita, & rebus geſtis* FRANCISCI DE STANNO *Epiſcopi olim Ruthenenſis*, &c. legi accuratè; In quo nihil contra fidem Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ, aut bonos mores reperi; ſed rara admodum Apoſtolici muneris, ac conſummatæ virtutis exempla, noſtris temporibus non ſolùm vtilia, ſed valdè neceſſaria. Ideóque non dubium, quin multùm proſit, ſi typis mandetur. In quorum fidem præſentibus ſubſcripſi manu propria, Die 10. Nouembris ann. 1660.

F. F. LAVELLE.

APPROBATIO.

EGo infra ſcriptus, in ſacra facultate Pariſienſi Doctor Theologus, inſignis ac ſanctæ Capellæ Vicicomitis Canonicus Præbendatus, nec non ejuſdem vrbis Paſtor ac Rector, omnibus notum facio, & fidem, Librum, cui titulus eſt: *Breuiculum de Vita & rebus geſtis* FRANCISCI DE STANNO *Epiſcopi olim Ruthenenſis*, &c. magna cum animi voluptate legiſſe me, ac in eo nihil contra fidem Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ, aut bonos mores deprehendiſſe, quin imò vt in lucem prodeat omnibus perutilem, maximè qui in partem ſollicitudinis Paſtoralis vocantur, judicaui. Datum Pariſijs, die vigeſima Octobris, anno Domini 1660.

ESPINASSIER.

✠

FACVLTAS ORDINARII.

NOS STEPHANVS CHARLES Preſbyter in facultate Pariſienſi Doctor Theologus, & Vicarius Generalis Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſ. D. Epiſcopi Claromontenſis, Libellum hunc, cui titulus: *Breuiculum de Vita, & rebus geſtis* FRANCISCI DE STANNO *Epiſcopi olim Ruthenenſis*, &c. Noſtro juſſu à Doctoribus lectum, & ab ijſdem approbatum, legimus etiam ipſi, non ſine ſenſu pietatis; nec in eo quicquam aduertimus, quod à fide Catholica abhorreat, aut à bonis moribus: Sed multa ad publicam animarum ædificationem conferentia, & ſingularia prorſus virtutum exempla, quæ valeant ad conformandos mores, non modò populorum communiter; verùm etiam eorum, qui ſacra auctoritate populis præſunt. Hac præſertim ætate, qua, magno diuinæ Prouidentiæ beneficio, Gallicana Eccleſia ad antiquam Sanctimoniam renouari videtur. Quare Libellum eumdem dignum publica luce judicamus, & edi permittimus. Nulla tamen in re præjudicantes, aut circa Miracula, aut circa Cœleſtem Beatitatem ſerui Dei; ſed omnia intelligentes intra terminos Proteſtationis ſolemnis ab auctore præmiſſæ, & juxta decreta VRBANI VIII, S.P. quibus per omnia ſaluam volumus, cum auctore, reuerentiam. In quorum omnium fidem, præſentibus ſubſcripſimus, & per Secretarium dicti Reuerendiſſ. D. Claromontenſis Epiſcopi, ſubſcribi, illiúſque ſigilli impreſſione muniri juſſimus. Datum Claromonte, decima quarta Nouembris, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo.

STEPHANVS CHARLES Vic. Generalis.

✠
Locus Sigilli.

De Mandato dicti D.V. Gen.
OGIER *Secretarius.*

PROTESTATIO AVCTORIS.

CVm Sanctiſſimus Dominus noſter VRBANVS VIII. decreuerit vt non admittantur Elogia Sancti vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam, bene tamen ea quæ cadunt ſupra mores & opinionem, cum Proteſtatione in principio, & fine, quòd ijs nulla adſit auctoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantùm ſit penes auctorem. Huic decreto, eâ qua par eſt obſeruantiâ, & reuerentiâ inſiſtendo, profiteor me haud alio ſenſu accipere, aut accipi ab vllo velle, quidquid in hac vita, ſeu vitæ Breuiculo refero, quàm quo ea ſolent, humanâ dumtaxat authoritate, non autem Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, referri, à ſtudioſis Hiſtoriæ veritatis cultoribus, qualem ego me jure meo profiteor.

Digitized by



Franciscus Destanno Epūs Ruthenensis Obiit. an
MDXXIX. Kal. Nou. Ætatis LXIX.

BREVICVLVM.

DE VITA ET REBVS GESTIS

FRANCISCI DE STANNO

EPISCOPI

OLIM RVTHENENSIS IN GALLIA.

Ab anno 1462. Ad 1529. G. d'Eſtaing.

SECTIO PRIMA.

Vitæ partes, & munia.

CAPVT PRIMVM.

Franciſci Ortus, & Nobilitas.

Callisto III. P.

NATVS eſt FRANCISCVS DE STANNO ſexto Ianvarii anno Chriſti MCDLXII, Ruthenæ in paterna domo, quæ Palatium Stannorum dicitur. Patre Gaſpare, Seneſcallo & Prorege Ruthenenſi. Matre Ioanna

Ludouico XI. R.

de Murolijs ; magna vtrinque Nobilitate. Paterna quidem tanta, vt Stannicæ domus Originem longiùs vltra annos octingentos, inuicta probatorum monumentorum fide, retrudere liceat. Siquidem Adelricus Stannij Toparcha, pugnaſſe traditur, illo in prælio quod à Carolo Caluo commiſſum eſt in campis Ruthenicis, ad locum qui mons planus, ſeu Colnacum appellatur, ad Tarnim, contra Saracenorum exercitum, qui ex Hiſpania in Occitaniam, & Aquitaniam immenſo numero eruperant. Sic in Stannica domo nihil antiquius eſt, quàm pro fide in Barbaros pugnare. Ex illo Adelrico, per mares deinde deducta proſapia, *viris ſemper abundauit* (inquiunt jurati pro Franciſco noſtro teſtes) *boni communis amantibus, prodeſſe omnibus, & nemini nocere volentibus.* Vetat modus libelluli ire per multos ; ſed nefas eſſet Petros duos præteriri. Alterum quidem, cui & Guidoni nomen fuiſſe creditur, inclyta fama dignum Majoribus ſuis fecit, poſteris exemplum fortitudinis & fidei inuictæ pro Regibus Galliæ, hoc eſt pro primogenitis Eccleſiæ filijs. Is prælio illo decantatiſſimo, quo Philippus Auguſtus Othonem Quartum Imp. ſacris interdictum debellauit, Regi periclitanti, & in terram abjecto, ſic opem tulit, vt in ſuum ipſius equum ipſe in pedes dejectus, ſuſtulerit. Cuius rei gratia ab optimo Principe Regiam parmam liliatam in cærulo campo, pro gentilitia vtendam in poſteros tranſmiſit. Ille Regum defenſor in Schiſmaticos, Petrus alter Sedis Apoſtolicæ Tutor inſignis. Ab Vrbano Quinto creatus Cardinalis, generali per Italiam Legatione dona-

Antiquitas Stannicæ domus.

Mores.

Parma liliata vnde.

Petrus de Stāno

tus eſt, difficillimo ſanè tempore, cùm per abſentiam diuturnam Pontificum Auenioni degentium, tota paſſim Italiâ turbatum eſſet, ſollicitantibus maximè Vicecomitibus Mediolani. Hos ergo Petrus & qui defecerant à Pontificia ditione populos, multis prælijs attriuit, viuente adhuc Vrbano; quo fatis functo, in obeunda Legatione confirmatus à Succeſſore Gregorio Vndecimo, planè profligauit decretorio maximè illo certamine, quod eſt in Flaminia patratum ipſo præſente Petro, ducente, manu etiam & conſilio agente. Qua quidem tam illuſtri victoria, ſtratum eſt iter paccandæ toti latè Italiæ; & rei Pontificiæ in priſtinum ſtatum reſtituendæ. Pace igitur vbique conſtitutâ, remeauit Legatus Auenionem, comitante celebris illa Sanctitatis virgine Catharina Senenſi. Cuius vtriuſque hortatibus, ſtatuit Gregorius in Sedem Romanam regredi; quod & feliciter ductu deinceps Petri præſtitum eſt. Adeò vt Stannicæ domui debere videatur Roma, quòd ſuos Pontifices poſtliminio reduces, etiamnum habeat.

Card. Legatus.

Familia merita, in S. Sedē.

CAPVT SECVNDVM.

Franciſci indoles & educatio.

QVANTÒ ſublimiorem ædificij ſpiritualis molem ſuperſtructura erat in Franciſco diuina prouidentia, tantò altius, firmiúſque poſuit fundamentum, Fuit illud indoles præſtans, & præ-

clara educatio. Rectè enim Gregorius Nazianzenus de S. Athanaſio prædicat, magnæ ejus indoli, ſupparem à Deo prouiſam educationem; qualem optandam eſſe dicit idem ſanctus Pater in ijs omnibus, qui Eccleſiæ gubernaculis admoturi ſunt manus. Id certè verumque Franciſco noſtro collatum cœlitus eſt cumulatiſſimè. Quaſi enim manu ductus eſt à prouidentia diuina, ad abſolutam, conſummatámque Epiſcopalis, & Apoſtolicæ vitæ perfectionem.

Franciſci præclara indoles.

De indole quidem, verba ſunt Syndici Eccleſiæ Ruthenenſis ad Metropolitanum, vt alterum Salomonem & Thobiam, Franciſcum noſtrum, ſortitum fuiſſe animam bonam. Et, quæ ornare pueritiam ſolent præcipuæ dotes, eas in illo fuiſſe ſingulares. Modeſtiam, pudorem, pudicitiam, morum commoditatem, ingenij acumen, & docilitatem. Planè vt ad ſtatum Eccleſiaſticum aptus natus eſſe videretur. Sic porrò à natura inſtituto, acceſſit cultus, & educatio, apud Patruum Ioannem Petrum de Stanno, illuſtre ſeculi ſui ſidus. Cuius tanta erat, támque cognita integritas, fides, prudentia, vt cùm juſſiſſet Rex Chriſtianiſſimus, impuberi Carolo Armagniaco Tutorem à Senatu Toloſano dici, omnium calculis electus ſit, & prælatus tot Magnatibus, atque adeò Principibus viris, qui illam adminiſtrationem omni ope depoſcebant.

Educator.

Ab illo igitur educatus Franciſcus noſter eſt. Vtque intelligas qua cura, eius vocem obſerua, in ea re præclaram. Dicere enim ſolitus erat, & crebris vſurpare ſermonibus, mirari ſe atque adeò deteſtari, conſuetudi-

nem plus nimio frequentem plerorúmque nobilium virorum, qui in quærendis agrorum ſuorum redemptoribus, ac cultoribus moroſiſſima ſollicitudine incumbunt; in inquirendis liberorum ſuorum cultoribus ac pædagogis, negligentiſſimi. Hac mente, cùm primùm Franciſci ætas culturam pati potuit, eum Patruus à paterna domo in ſuam abduxit; Selectíſque præceptoribus, ac morum cenſoribus commiſſum, in oculis ipſe ſuis educi voluit; in Monaſterio plerumque Altobracenſi, cujus ipſe Domnus ſeu Præpoſitus erat. Vt nouus Samuel ſacris deuotus, in ipſis penè aris adoleſceret. Eſt Eccleſia Altobraci inſignis, & perantiqua; vetus hoſpitium peregrinantium, in Ruthenis ſuperioribus ſitum. Illic, aut in alijs quæ ad eiuſdem Eccleſiæ ditionem pertinent ædibus, priora decurrit ſtadia litterarum ab anno ætatis nono ad ſeptimum decimum; quo, decurſis Logicæ præceptis, Ariſtotelis ei, de moribus commentarij accuratè prælecti ſunt, tantâ ſolertiâ, non modò Præceptoris, ſed & Patrui ipſius, vt extent etiamnum hodie non pauca teſtimonia in tabulario domus Stannicæ; quibus conſtat, ità temperata ab illo fuiſſe ſtudia, vt ex hiſtoricorum lectione illuſtrarentur Philoſophica, & Ethica principia; hiſtorica exempla ad eadem exigerentur, frequenti meditatione, qua ipſo coram Altobracenſi dicere, aut de ſcripto recitare jubebatur Franciſcus. Aut ſi fortè longiùs abeſſet domo Patruus, lucubrationes ad eumdem tranſmittere. His domeſticis & quotidianis exercitationibus, capaciorem, & laxiorem animum ad majora ſtudia parauit,

Ratio educationis,

&.

Studiorum.

Verè

Toloſæ biennium totum juri Canonico tribuit, in celebri illa toto orbe tum maximè Academia. Illinc ad Pariſienſem profectus, duos item annos Theologicis ſtudijs incubuit, inſectatus eas potiſſimùm diſputationes, quæ ad mores maximè, & ad officia præcipua Eccleſiaſtici ſtatus conducunt. Exinde vitauit ſollicitè ſcopulum illum infamem naufragijs ingeniorum frequentibus; ad quem alliduntur plerique Nobiles adoleſcentes, qui primores litteras vtcunque peritè alieno ductu emenſi; ſui deinde juris compotes, poſteriores adoleſcentiæ annos, & virilem ætatem conterunt ineptarum rerum ſtudijs, alia omnia ſectantes, quàm quæ ſtatum, ſiue Eccleſiaſticum, ſiue Senatorium decent: non leui, aut Reipublicæ, aut Eccleſiæ damno.

Eccleſiaſtica.

CAPVT TERTIVM.

Prima Franciſci in Italiam profectio. Sacerdotium. Electio in Senatorem, & in Abbatem.

HÆc quidem ſtudiorum decurſio tot annorum, támque peritè deducta, ſatis ſupérque eſſe poterat modica ſpectanti; at Franciſcus vltrà nitens ad ſumma, inter meros apparatus ſcientiarum, hanc ſuam ſingularem eruditionem reponebat. Et ſuo igitur & Patrui conſilio, in Italiam, profectionem inſtituit, præcipuas quaſque Aca-

demias luſtraturus, Romanam in primis Curiam. In qua annum totum priùs eſt commoratus quàm ad Ticinenſe celeberrimum juris Canonici Gymnaſium adiret. Ea quidem mente (quod in ſuis ad Patruum litteris profitebatur) vt Romæ apud Pontificiam aulam, puriores radios Eccleſiaſticæ Iuriſprudentiæ exciperet: & inde hauriret vera canonum interpretamenta, vnde ſunt pleraque orta decreta. Biennium deinde in Ticinenſi ſeu Papienſi Academia poſuit. Quo decurſo ſolido, poſt generis illius examen quod rigidiſſimum appellatur, lauream Doctoris aſſecutus eſt, mirabili plauſu omnium Academicorum, qui eò ex omnibus Italiæ partibus confluere magno numero tunc ſolebant. Apud quos magnam ſanè beneuolentiam, etiam cuidam venerationi coniunctam conciliauerat ſibi Franciſcus: & propter ſingularem eruditionem, morúmque commoditatem, & propter recentem etiamtum memoriam magni illius Petri de Stanno, de quo priore capite: qui ſeculo anteriore Romanam ſedem, totámque Italiam, armis & conſilio in libertatem aſſeruerat.

Franciſcus luſtrat Academias Italiæ.

Creatur Doctor.

Remeauit ergo ad Patriam, & Patruum Franciſcus iam laureatus: & eâ iam antecedente celebritate famæ, & probitatis, qua in ſe omnium conuertebat oculos. Adeò vt cùm Patris & Patrui miſſu, qui theatrum tantæ virtuti quærebant, ad Regiam proficiſci ab ipſo ſtatim reditu coactus eſſet, quorumdam negotiorum gratiá, Senatoria illi dignitas decreta ſit, communi, ſupremæ apud Pariſios Curiæ, Senatuſconſulto: quo apud Regem Carolum Octauum inſtitére Senatores vni-

Recuſat Senatoriā dignitatem.

uerſi, vt munus id Franciſco Rex imponeret. At Regem ille enixè rogauit, ne ſe, qui ad Eccleſiaſticam vitam omnia ſua, ſéque ipſum deſtinaſſet, curis ac curijs, vt aiebat, ſecularibus implicaret. Itáque munus deprecatus, celeriter ad reditum ſe accinxit, vt animum ad Sacerdotium ſuſcipiendum feriò compararet. Comparauit ſeſe tantâ certè cura, vt ſeſqui ferè annum in eo ſacro apparatu tranſegerit: repudiatâ, quæ oblata erat, facultate, canonica temporis ſpatia inter ſacros ordines non ſeruandi. Obſeruauit ipſe inter ſingularis pietatis ſenſus, & exercitationes. Vbi verò tandem eſt in preſbyteratum aſſumptus, nullo vnquam die, quoad vixit, & valuit, diuinis operari deſtitit, vt tradunt iurati teſtes, domeſtici, atque externi. Initiatus verò eſt in Diœceſi Anicienſi. Quo in tractu celebris Abbatia eſt à Monaſterijs, & à ſancto Theofredo cognominata: cuius tum Abbas neſcio quo caſu, ab aliquot annis captus oculis, & iam ſenior, communibus omnium Monachorum ſuffragijs, eumdem neſcientem, atque abſentem, Succeſſorem dixit: ductus ſola nominis celebritate, qua Franciſcus florebat. Ea verò noua dignitate aucto, iterum in Regiam adeundum fuit, citiùs quàm præceperat animo. Sed vrgebant inuitum, mos Anteceſſornm, & iura Regia, quæ fiduciarium ſacramentum, à nouis Abbatibus exigebant, pro ditionibus aliquot regio beneficio eidem Eccleſiæ, & familiæ conceſſis. Opportuniùs verò quàm ſpondebat ſibi Franciſcus, ad nouas capeſſendas dignitates Regiam attigit. Tum enim cùm adijt, agebatur de inſtituenda noua Curia, quæ

Comparat ſe ad Sacerdotium.

Fit Abbas.

Ad magnum Regis Concilium adlegitur.

quæ ſuprema auctoritate res controuerſas, & lites inter Eccleſiaſticos tractaret: & conſtaret eadem Doctoribus tantùm Canonici juris: & Senatoribus, qui eſſent ſacris initiati. Hócque, initium fuit Magni, vt vocant, Concilij. In illud Sacerdotale, & Eccleſiaſticum (vt tum res erant) Collegium, adlegit Rex Carolus Franciſcum noſtrum, quamquam initio reluctantem, quòd diceret ſe Abbatiali curæ addictum eſſe. Sed inſtanti vlteriùs Regi, genus cauſarum, non vt Pariſienſis Senatus, alienum eſſe, ſed proprium: manus dedit. Sic breui paucorum annorum decurſu, à præcipuis Reipublicæ ordinibus electus eſt. A Rege Carolo in magni Concilij Senatorem. A Senatu Pariſienſi, in conſortem iudiciorum. Ab Religioſis viris, in Abbatem. A Capitulo demum & Clero Ruthenenſi, in Epiſcopum, vt mox dicturi ſumus. Quæ res, vix vni alicui alteri, ſuo ſeculo contigit. Contigiſſe Franciſco certa & indubitatæ fidei, quæ etiamnum ſuperſunt, probant teſtimonia: vt ſponte nimirum delati ſint hi omnes Magiſtratus, ſolo admodum prehenſante eius merito.

Omnia munia vltro delata non prehenſanti.

CAPVT QVARTVM.

Franciſci Electio, & Confirmatio in Epiſcopum.

EPiſcopalem Sedem apud Ruthenenſes, obtinebat Franciſci ætate Bertrandus Poliniacus, ex illuſtri Vicecomitum familia:

Quam ille dignitatem ab Auunculo item Bertrando Chalenconio adhuc viuente, ſedis Apoſtolicæ permiſſu acceperat. Poſt aliquot tamen annos Epiſcopatus Nepotis, vterque octo ferè intra dies fato repentè functus eſt. Neque licuit in caſu tam ſubito, quod per annos circiter ducentos contigerat, literis â ſede Apoſtolica, Canonicorum ſuffragia, & ius antiquum Electionis,præuertere. Proceſſit itaque in vno Franciſco, poſt tot annorum decurſus capitularis Electio. Dictúſque Epiſcopus eſt omnium Suffragatorum calculis nemine vno diſcrepante, præter Franciſcum ipſum, qui in alium, vt decebat, vota direxit. Quæquidem Electio, qua fide, & ſanctitate inſtituta ſit, intelligi fas eſt, ex formula iuramenti, ad quam adacti ſunt ſuffragatores, quâ diſertis verbis iubetur, vt is eligatur, quem quiſque in Domino futurum vtiliorem Eccleſiæ, in ſpiritualibus & temporalibus crederet: repelleret contrà, qui prece vel precio, vel promiſſione, directè, vel indirectè ambiret.

F. eligitur Ep. omnium ſuffragijs.

Recognitis publicè ſuffragiis, quæ per ſecreta ſcrutinia data fuerant, itum eſt ſilentio à conclaui ad Chorum Eccleſiæ Cathedralis: atque illic ex ambone proclamatio facta Electionis. Qua audita, Franciſcus non dubijs vultus, & corporis totius ſignis, animo cohorruiſſe viſus eſt: Inſtare tamen hîc Clerus vniuerſus, inſtare & populus, qui frequens aderat: & diuinam Electionem,in tanta animorum conſenſione prædicare. Perſtitit nihilominus in negando conſenſu Franciſcus, quòd tantæ rei ampliationem, & procraſtinationem peteret, quam ius concederet.

Reluᶜtanti perſeuerantiùs, dilatio diei vnius attributa, in matutinum ſcilicet conſequentis tempus : cùm tamen fruſtra diſſenſurum clamarent vniuerſi, quòd fixum eſset conſilium, & plebis & Cleri, ne quis alius aſsumeretur. Conceſsum illud temporis ſpatium vniuerſum, conſumpſit Franciſcus ardentibus ad Deum precibus : & quia vndecimus erat dies Nouembris, quo feſta commemoratio magni Martini Turonenſis colitur, frequentiſſimè à domeſticis, & alijs dicere auditus eſt intra ſecretius Conclaue ædium ſuarum : *Si populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem.* Vbi verò diluxit, cùm accepiſset, pridie inter intenſas tenebras tabellarium veniſse, qui ad Clerum literas attulerat, quarum cauſa, de graui & vrgenti negotio coëundum eſset, & conſulendum : ad nouamcaptandam dilationem eo eſt vſus obtentu, quòd aſsereret, ſibi integri cœtus ſolemne tempus, ad dicendum de re tanta neceſsarium videri. Itáque exemptum tempus matutinum, & meridianum quoque, ad veſpertinas vſque preces. Manè ſacris operatus eſt Franciſcus, ex more quidem, ſed præter morem, diuinam rem protraxit longiùs : quippe qui ad aras præſentem Deum conſuleret, aſpiciens in auctorem fidei, ſacrorúmque omnium, & conſummatorem Ieſum. Quid à Ieſu ſuo audiuerit, incompertum; hoc ſanè conſtat, à ſacris, exporrectiori fronte viſum eſſe. Secundùm veſpertinas preces, iteratò conuentum eſt, in Chorum; & iteratò Electio oblata Franciſco, dicente Latinis verbis omnium nomine, Eccleſiæ Cathedralis Cantore Helyundo Iaufredo Rothomagenſis olim Gardinalis nepo-

Reluctatur.

Dilationem conſenſus obtinet.

Eius mira pietas.

Cœleſtis ſolertia.

Humilitas admittentis.

te. Reſpondit eodem idiomate Franciſcus, & *tandem* (ait in literis ad Metropolitanum ſuis Clerus Ruthenenſis) *nolens reſiſtere diuinæ voluntati, Electionem admiſit, cum ſtupore mentis, & tremore.* Hanc eius conſentientis vocem, vox populi, qui conuenerat frequentiſſimus, ſubſecuta eſt, tanto plauſu, vt cuique patrem è mortuis in vitam reſtitutum credi poſſet. Accidit certè in regendis rebus humanis, quod in natura videre nefas eſt; naſci patres in oculis, & ad vota filiorum. Hac ſpe vniuerſi Ruthenenſes, poſt decantatum ſolemnem hymnum, deducto ad Epiſcopium Franciſco, domum quiſque ſe recepit, pleniſſimum lætitiæ nuncium allaturus. At huius publicæ, priuatæque lætitiæ curſum interpolauit, poſt aliquot exinde hebdomadas, Caroli Turnonij interceſſio; qui, agente maximè Cæſare Borgia Valentinenſium Duce Epiſcopatum Ruthenenſem ambiebat, ſubreptitijs & intempeſtiuis literis ſummi Pontificis Alexandri fultus. Cauſa tamen cecidit, tacente quidem Franciſco, ſed litem perſequente Ruthenenſi Clero. Cauſa, inquam, & vita ſimul; poſt litem apud ſuprema omnia tribunalia diſceptatam. Confirmata Electio eſt, (vt tum temporis moris erat) à Metropolitano Archiepiſcopo Bituricenſi, qui tranſmiſſis Ruthenam Legatis tribus, de vita & moribus Franciſci abſentis prolixam quæſtionem inſtituére, quæ adhuc extat. Ad quam auditi viginti quinque teſtes ex omnibus ordinibus, Eccleſiaſtico, Patritio, Plebeio, ſecundùm præſcripta ſanctorum Canonum; qui quærendi articulos ex gemina Epiſtola S. Pauli ad Titum, & Timotheum

Populi in eum amor.

Aduerſarij & competitores.

Confirmatur Electio.

diſcuti jubent. Diſcuſſi ſunt in cauſa Franciſci exactiſſimè, vt in actis publicis videre licet; non tamen ſine ſingulari admiratione virtutum Electi ſanè à Deo, & hominibus ad Eccleſiæ bonum.

Quamquam ab omnibus, & ſecularibus & ſacris Tribunalibus adjudicata Franciſco lis fuerat, in Carolum Competitorem; tamen quia vtcunque interueniſſe videbatur auctoritas Apoſtolicæ Sedis, licet ſubreptitiè, vt ferebatur, intempeſtiuè quidem certè admota; noluit Franciſcus pro veneratione qua erat in Chriſti Vicarium eximiâ, initiari in Antiſtitem, antequàm ſecretò per deſtinatos adminiſtros literas in id ipſum, & Breue, quod vocant, inſtitutionis, accepiſſet. Tum demum obſequi votis ſuorum ſe poſſe credidit, vt Pontifex fieret, cùm eſſet ipſe ſummo Pontifici omnium, & Eccleſiæ capiti ſubmiſsè obſecutus. *Veneratio S. Sedis.*

CAPVT QVINTVM.

Orator ad Pontificem Romam à Rege mittitur, à Pontifice in Galliam Vicelegatus.

INITIATVS eſt Franciſcus ſacris Pontificijs, coram ipſo R. Ludouico Duodecimo in Bleſenſi ciuitate. At quaſi nouo afflatus ſpiritu, etiam plùs ſolito faſtidire cœpit humana omnia. Anhelabat toto pectore ad cariſſimam ſponſam Ruthenen- *Muneris Epiſcopalis amor.*

ſem Eccleſiam, primo quoque tempore inui-ſendam. Sic comparato nihil ingratius, atque importunius accidere poterat, quàm quod eſt illi à Rege mandatum, vt Romam Orator & Legatus proficiſceretur, Obedientiam ex more, Ludouici nomine apud S. Pontificem Iulium ſecundum profeſſurus. Repugnauit enimvero Franciſcus enixiſſimè, quòd aſſereret iniquiſſimum eſſe, nouum Sponſum ità ablegare longiùs. Excuſantem audire noluit Pius Rex, atque excepit; illum magni Concilij ſui Angelum eſſe, ac jure nuncium à ſe eligi. Nec obſtare, quod Hierarchiam mutaſſe videretur, ſingularis vnius Eccleſiæ ſponſus: contrà verò, decere eum, legationem primogeniti Eccleſiæ filij, ad communem vniuerſalis Eccleſiæ Patrem. Vno igitur alteróve menſe in apparanda legatione conſumptis, in Italiam iter inſtituit. Specie quidem obſequij ſolemnis, re autem vera, vt de magnis cum Iulio negotijs ageret; ac in primis, de varijs arcibus, & ciuitatibus Eccleſiaſticæ ditionis, ex Tyrannulorum quorumdam manibus recipiendis. Exceptus eſt à Iulio perhonorificè, frequentiſſimo in conſeſſu Magnatum. Vbi cùm peroraſſet Franciſcus; reſpondit Iulius, inter alia quæ in laudem Regis & Oratoris dixit. Expectare ſanctam Sedem à Franciſco Legato Regis, quod olim Pontificius Legatus Petrus de Stanno præſtitiſſet. Singularem nimirum operam, opémque ad B. Petri patrimonium recuperandum, Franciſci conſilijs, armis Gallicis. Applauſum eſt liberaliter huic orationi; quam vt oraculum excepit Franciſcus, confirmaſſe viſus eſt Deus. Cui rei vt ſolidam operam

Fr. magni Cōcilij Angelus vocatus.

Romā adit Orator.

nauaret Dei ſeruus, & ſanctæ Sedis deuotus cultor; Regis Ludouici nomine à quo puras chartas in id complures acceperat, pertentauit animos Principum Italiæ, populorum item, & ciuitatum. Redux poſtmodum in Galliam ſeptimo ferè poſtquam diſceſſerat menſe, Regi optimo perſuaſit, vt per Carolum Amboſianum Inſubriæ præfectum, bellum in eos indiceret, atque inferret, qui bona Eccleſiæ Romanæ occuparant. Bentiuolos in primis, qui Bononiam. Exitus ſpei conformis fuit. Armis Gallicis, & Pontificijs, & auxiliaribus Italicis, receptæ ciuitates, Bononia primùm, deinde Rauenna, Ariminum, Fauentia, Ceruia, aliæque complures. Quibus de victorijs gratulatus eſt ſibi Iulius apud Franciſcum noſtrum ijs in literis, quibus gratias egit, & agnoſcere ſe dixit non degeneres animos Stannicæ domus.

Ejus ſtudiũ in S. Apoſtolicam.

Erat tum cùm eas literas accepit ſeruus Dei Auenione Vicelegatus, & Comitatus Venæſſini gubernator à Pontifice præpoſitus. quam quidem præfecturam non antè adire ſuſtinuit, quam Ruthenenſes ſuos inuiſiſſet. Prouidentiæ verò diuinæ fuit, quòd eodem anni die ciuitatem ſuam iniret ſolemni pompa, quo fuerat ante annos quatuor electus, vndecimo nimirum Nouembris. Adeò vt non ſine numine contigiſſe videatur eodem illo die eius electio anni ſeculi primo, Confirmatio quarto; Ingreſſus quinto. Eo nimirum die, quo magnus Franciſci Patronus Martinus ille Turonenſis pia Chriſtianorum celebritate colitur.

Auenionenſem Legationẽ regit.

CAPVT SEXTVM.

De actis in Epiſcopatu generatim.

Quomodo in ea legatione ſe geſſerit.

QVÆ geſſerit in Præfectura, ſeu Legatione Auenionenſi, fidelis ſeruus Dei Franciſcus, in eo munere quod ei Chriſti Vicarius impoſuerat, in commune bonum illius regionis, non ſatis certis conſtat monumentis. In cauſa eſt, quòd tabularia publica, actáque paucis poſt deceſſum eius annis ex prouincia, Romam delata ſunt pleraque omnia; propter ingruentia tum temporis bella Iulium inter & Ludouicum. Hoc certè conſtat, Franciſcum ex præfectura illa locuplete & pingui, egentem ſanè rediiſſe. Quod ego ſtupens aduerti, ex actis apud cœtus Capitulares Ruthenenſis Cleri. Rationem verò perſcrutatus, deprehendi ſcilicet non dubiam. Quibus enim annis prouinciam rexit, iiſdem vt hiſtorici tradunt, ſæuiit in populos tractus illius, & conterminos grauiſſima annonæ caritas, ſterilitáſque agrorum: vnde & fames & peſtilentia regionem paſſim vexauit. Locuples redire quî potuit Franciſcus pauperum vbique dictus, vbique agnitus Pater?

Amor in Diœceſim.

Ruthenam vt tenuit, immunis ab alienis, vt vocabat oneribus; ſibi ſe demum redditum gratulabatur, & ſuis. Exceptus eſt iam ſecundò, ſed non diſpari concurſu plebis, Nobilitatis, & Cleri. Quòd perſuaſum haberent vniuerſi, eius ſe impoſterum præſentia nullis

nullis interpolanda publicis muneribus, fruituros. Ipſe etiam maiores, & nouos quaſi ſpiritus induere cœpit, ad agri dominici culturam. Non ſecus ac ſi ſibi curæ paſtoralis emendandi defectus eſſent. Quamquam eo priore Epiſcopatus quadriennio, haud paulò plura in Diœceſeos ſuæ bonum præſtitiſſet, quàm ſoleant præſentes, & extra præfecturas externas Antiſtites quíque maximè ſolliciti muneris paſtoralis. Vel inde æſtimes licet, quòd per illos annos, vt diximus, quatuor, totam, quàm latè patet Diœceſim Ruthenenſem præſens luſtrauerit ſolemni more; aditis ſigillatim parœciarum omnium Eccleſiis, auditis, cohortatíſque earumdem Rectoribus, & rerum ſacrarum adminiſtratoribus. Solitus nempe ſingulis annis, ternos, quaternóſve menſes ex præfectura in Diœceſim ſuam commeare. Quam ſibi facultatem à ſummo Pontifice, tum cùm eſt inſtitutus Legatus, exceptam voluit; quòd diceret, non minùs lepidè quàm piè. Etſi Patrem vniuerſalem agnoſceret Chriſti Vicarium, & Romanam Sedem Matrem; in ſacris tamen oraculis eſſe, quo ſibi eam facultatem extorqueret Ruthenenſis Eccleſiæ ſponſus, vt & priùs apud Regem, *relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori.*

Mirabilis animi ſenſus in plebem.

Adhæſit enimuero Dei feruentiſſimus, ac fideliſſimus ſeruus, atque idem ſponſæ ſacræ amantiſſimus, quàm potuit aſſiduitate maxima; & in ſingulis muneris ſui partes inuicta conſtantia totus, totáque deinceps vita incubuit. Quid verò pro Dei gloria, quid pro ſalute, & bono plebis ſibi commiſsæ egerit, paucis complexus eſt, qui erat ei ab Epiſtolis,

& Commentariis, & qui in idem munus aſsumptus eſt à Clero, Sede vacante. Ait enim in Codicibus Diarij Capitularis. *Nihil quod juſtum, quod pium, quod ſanctum, quod denique virtuoſum foret, in Pontificatu agere prætermiſit. Pauperum pater.*

Elogiũ boni Epiſcopi.

CAPVT SEPTIMVM.

De ſtudio reformationis omnium Ordinum.

Reformatio Cleri.

DEI fidelis, & prudens ſeruus Franciſcus, cùm primùm à profanis (quæ vocabat) ſeu publicis muneribus à Rege & Pontifice vacationem obtinuit; in mores emendandos omnium ordinum inuictiſſima perſeuerantia animum appulit. Atque vt decebat ſacrorum Præfectum, ab ipſo, vt aiebat, ſanctuario ſibi exordiendum exiſtimauit. Hoc eſt ab Ordine Eccleſiaſtico, & ab ipſis Ordinis ſacri principibus. Clero nimirum Eccleſiæ Cathedralis. Et opportunè quidem erant recenter decreta reformando per Galliam Clero multa capita, in publico Conuentu Gallicanæ totius Eccleſiæ. Ea ſtatuta quadrifariam diuiſa, & ex ſacris Canonibus excerpta, Clericorum vitam, mores, veſtes, conuerſationem, ad priſtinam diſciplinam reuocabant. Anteuerterat iis exemplo ſuo Franciſcus, atque, vt erat Canonum peritiſſimus, eorum in ſe expreſsam imaginem duxerat, iam antè, ex quo Canonicus in Choro Ruthenenſis Eccleſiæ ſedere cœ-

perat. Vnde & ipſi vigintiquinque teſtes, qui iurati de vita eius, & moribus dixere apud Metropolitanum, vna voce ſic irreprehenſibilem exhibuere, *vt in omnibus* (inquiunt) *& per omnia rectè dici poſſet norma, & exemplar Clericorum.* Ità quidem illi de Electo in Epiſcopum Franciſco; at de eodem iam Epiſcopo dici potuit, quod de Principe ſuo Caſſiodorus, *Creuit tantùm conuerſatione, quantùm creuerat dignitate.* Colluctandum tamen illi fuit cum inueteratis conſuetudinibus, & peſſimo ſeculo. Quale nimirum deſcribunt hiſtorici, qui de ſtatu rerum Gallicarum, qualis erat paulò ante ortum Lutheraniſmi, & Caluiniſmi, ſcripſere. Peruicit Franciſci ineluctabilis conſtantia; vt, quod fieri poſse nemo tunc crederet, factum quiſque miraretur. Modeſtiores quoſque de Clero, & viciniores ſaluti, primùm ſibi benefactis, conſuetudine, exemplo conciliauit, ac deuinxit. Horum ſuffragiis in cœtibus Capitularibus, & Synodalibus vſus, cæteros vel inuitos traxit. Antequam de decretis illis publici, & generalis Cleri Gallicani conuentus, apud conſeſsum Capitularem referret, horum breuiculum, & quæ ipſe ex communibus ſanctionibus ad praxim deduxerat, priuatim pluribus diſtribuit. Qua de re legi ego in ſecretioribus ſchedis & monumentis, à nonnullis è Capitulo, præcipuos ac grauiores quoſque reformationis articulos exſcriptos eſse; ac de iiſdem ſecretò conſultos Academiæ Toloſanæ, & Cadurcenſis Doctores, vt, quid iuris haberent, & quam vim, certò intelligerent. Cùm eſset verò reſponſum, ea ſtatuta omnia iuridica videri; & ab ipſis omnibus & ſin-

Fr. norma Clericorũ.

Prudẽtia & efficacitas in procuranda reformatione.

gulis ſupremæ iuriſdictionis Senatibus, atque adeò ab Rege ipſo confirmatum iri; Canonici magnam partem, in ſententiam iuere Optimi & Sapientiſſimi ſui Antiſtitis, tum cùm habito cœtu, eos articulos publicauit. Quam quidem publicationem ardentiſſima oratione proſecutum eſſe tradit Commentarienſis. Adeò vt præter morem eodem die ſub veſperam Canonici conuenerint, &, licet repugnarint, ac interceſſerint ætate iuniores aliquot, aut prauitatis inueteratæ ſeniores; admiſsæ ſint ordinationes circa vitam, mores, veſtes, & conuerſationem. Atque aliæ item quæ ad preces diuinas, totamque rationem Chori ſpectabant. Qui autem reluctati fuerant, cùm deinde contumaciùs offenderent publicos oculos; & paternè ſæpius admoniti, nedum reſipiſcerent, ſed indecentiùs quotidie violarent Chori diſciplinam. Eos tandem Franciſcus à ſacris prohibitos, anathemate ſolemni, quamquam illacrymans perculit. Nec antè ſacris reſtituere ſuſtinuit, quàm poſt decretas crimini pœnas & exolutas, ad meliorem frugem reuocati ſunt.

CAPVT OCTAVVM.

De ſtylo Epiſcopalis fori emendato.

RATIO temporum, rerúmque narratarum exigeret, vt hîc conſequenter de Kalendarij Eccleſiæ Ruthenenſis emendatione ageremus; poſt decreta de Cho-

ſo, & officiis diuinis. Verùm quia in eà emendatione inſerta quædam ſunt feſta, quorum ſtabilis inſtitutio, non niſi poſterioribus vitæ Franciſci annis confirmata eſt, dicendum quoque poſtremo loco de ea nobis. Hîc tamen opportunè à Choro vbi Deo concinuntur laudes, ad forum iuditiale deuénimus, in quo Iuſtitiæ partibus omnibus cautum eſſe voluit Franciſci ſapientia. Nec abludit magnus Eccleſiæ penè naſcentis Doctor, cuius hæc præclara vox eſt, *Bonitas Dei operata eſt mundum, juſtitia modulata eſt.* *Tertul.* Nos intra ſepta ipſa Chori Eccleſiæ Ruthenenſis etiamnum verſari poſsumus, cùm de Iuſtitia dicimus. Eſt enim in Elogio ſepulcrali Franciſci noſtri ſcriptum de eodem. *Stylum Curia ſua in melius reformauit.*

Ruthena, ſeu Segodunum Ruthenorum, in duas vrbes ſeu partes diuiditur. Altera quæ propriè ciuitas appellatur, iuris eſt Epiſcopalis. Quare in eam ſuos habet iudices rebus diſceptandis Epiſcopus, & forum ſuum. Alterum item forum vt cæteri communiter Antiſtites, præſide quem Officialem dicunt. Vtrique foro ſtatuta condidit Franciſcus, quæ litigantium bono conſulerent, in tribus maximè partibus, quibus tota continetur Iuſtitiæ adminiſtratio. In cauſarum diſcuſſione legitima, in litium actionibus deducendis, in perceptione emolumentorum. Iubebat in primis vt ſingulis ſemeſtribus ex vtroque foro, Codex ipſe actorum publicorum ad ſe tranſmitteretur, in quo legere poſset cauſarum ſeu litium capita, & ſententias. Atque ipſa, ad actorum ſingulorum calcem, adminiſtrorum, & Iudicum, ſeu li- *Cura æquitatis.*

tium dijudicatarum accepta ex litigantibus precia. Extant hæ ſanctiones in Tabulariis adhuc Ruthenenſibus: vt & aliæ complures pro felici Diœceſeos gubernatione, & pleræque omnes etiamnum vigent. Quo quidem in genere vniuerſo, eximiam vtriuſque juris notitiam, qua pollebat Franciſcus, mirificè contuliſse fatendum eſt; & à magni Concilij Senatore plurimùm adiumenti acceſſiſse Antiſtiti; vt juri, ſua vbique vis eſset. In tantum ſanè vt de Franciſco celebrari ſe poſſit, quod de cuiuſdam integritate ſuo ſeculo prædicauit Apollinaris Sidonius, *Sic erat timens Deum, vt ab hominibus timeretur.* Non quòd lites ille amaret, aut obſtinaciùs perſequeretur, ſed quòd iura, legeſque violare in tanta peritia, atque integritate conſtantiſſimi zeli non niſi arduum, cuiuis etiam audaciſſimo videretur. Erat verò eius tanta integritas atque abſtinentia, vt ſe etiam judice aliquando cauſa caderet, non modò cùm ius aduerſarijs faueret, ſed cùm honos tantùm Franciſci priuatus, aut priuatum lucrum, ac damnum ageretur; minimè verò omnium cùm ageretur Dei gloria, bonum publicum, aut ius Eccleſiæ Ruthenenſis. Quòd in illis Dominum ſeſe non inficiaretur; in his autem agnoſceret ſe reddendæ rationi peculiariter obnoxium; rei Dominicæ interuerſorem ſi ſecus faceret, quàm è re Domini eſſet. Cuiuſmodi ſanctæ æquitatis complura ſanè ſub manum confertim exempla veniunt, ſed hîc recenſere properandi ſtudium vetat.

Franciſci integritas.

Axioma diuinum.

CAPVT NONVM.

Cura rerum temporalium Eccleſiæ Ruth.

QVA cura & fide Franciſcus adminiſtraret bona commiſſarum ſibi Eccleſiarum, docet oratio Syndici apud Metropolitanum, in qua verbis ampliſſimis, eius in ea re conſtantem induſtriam commendat, ſummámque illam fuiſſe teſtatur. Notiſſimam illam in vulgus eſſe, cuius publica in omnium oculos, incurrerent teſtimonia. More nempe optimi patrisfamilias non modò conſeruaſſe bona Eccleſiarum ſibi deſponſatarum, ſed amplificaſſe eadem. De Monaſterienſi quidem apud Velaunos Eccleſia, cuius erat Abbas Commendatarius, certiſſimis monumentis confirmatum legi, quæ ab illa Eccleſia pendebant Eccleſias plus quàm ducentas prioribus annis duobus quibus geſſit ſacram Præfecturam, ab illo luſtratas; earumdem reditus mirificè auctos. Atque ipſius cumprimis Abbatialis Eccleſiæ. Sic etiam alijs de omnibus quæ poſſedit beneficijs Eccleſiaſticis dicendum. Nec tamen ipſe aut lautior vſquam aut locupletior apparuit. At nouæ ſponſæ quaſi in nobiliorem ordinem elatæ, ornatiori ſtatim, ditioríque cultu, ſponſi magnificentiam teſtabantur. Ita vt de ipſa Monaſterienſi Abbatia teſtentur Oeconomi, plùs illum longè in domus illius bonum impendere ſingulis annis ſoli-

F. erga Eccleſiam optimus paterfamilias.

Cæleſtis omnino liberalitas.

tum, quàm valerent annui reditus. De iuribus autem Eccleſiæ vniuerſim, & ſingulariter ſedis Ruthenenſis, ità inſcriptum Franciſci tumulo hodiéque legitur. Fuit, *in aſſeruandis Eccleſiæ juribus, omnium diligentiſſimus.*

Iura Eccleſiæ ſuæ curat confirmari.

Sunt jura Eccleſiæ Ruthenenſis, & priuilegia, ſupra communem ſortem aliarum illuſtria illa, ampliſſima, atque antiquiſſima, àb ipſo conditu Regni Francici vel conceſſa, vel confirmata. Verùm, quod agris ſolet, qui torrentibus, magníſque fluminibus vicini ſunt, euenire, vt tractu temporis, crebris alluuionibus deterantur, inundentur nonnunquam. Hoc idem Eccleſiaſticis juribus, ac priuilegijs cauendum rectè dicebat Franciſcus, ne vicinia, atque adeò communio rerum ſecularium, & ſacrarum, ſacras ipſas oblímet. Neque iniuria id dixit Franciſcus, quòd deceſſores eius, per annos ferè ducentos, iurium, ac priuilegiorum ſuorum confirmationem à Regibus obtinere neglexerant. Ipſe ſummo ſtudio, ſummóque labore, ea in vnum collegit, quæ erant ab anterioribus Galliæ Principibus contributa, confirmatáque. Quæ ſimul collecta, diplomate Regio ſtabiliri curauit à Ludouico Duodecimo, prioribus Epiſcopatus ſui annis; poſterioribus à Franciſco eius nominis Primo.

In nouis ſubſidijs quomodò ſe gereret.

Neque minùs publicam rem Eccleſiaſticorum ſuæ Diœceſeos tutatus eſt conſtanti ſemper cura; tum verò maximè cùm ab Regijs miniſtris, nouis exactionibus atteri, vrgeríque videret. Quin etiam non ſemel ipſiſmet Principibus Ludouico, ac Franciſco præſens diſſuaſiſſe traditur, ne quid ſimile auderent ipſi, aut fieri diſſimularent. Sanè

legi

legi ego inter ſchediaſmata tabulariorum quæ ad hanc hiſtoriæ ſummam, ſcrutanda mihi fuerunt ſecretiora, luculentum omnino exemplum rei hujus. Cùm enim per turbulenta illa tempora, quibus diſſidebant grauibus inter ſe odijs Iulius P. eo nomine Secundus, & Ludouicus Duodecimus; Subſidium (vt loquebantur) Caritatiuum ad belli ſumptus ab Eccleſiaſticis exigeretur Ludouici nomine; perdiu negauit obſtinatiſſimè Franciſcus, id ſe paſſurum, inter fines Diœceſeos ſuæ, quòd id injuſſu Pontificis fieri nequaquam poſſet. Neque manus dedit, niſi tum demum cùm vim illatum iri, paratámque jam videret. Atque etiam tum abſolui ab ſic extorta conceſſione de geniculis voluit, ab Alano Varenio Protonotario, & Generali Vicario in Diœceſi, ad cautelam, quod aiebat, donec liberiores viæ eſſent adeundi Pontificis Romani. Vidi ipſemet, ac tractaui ſæpius conceptam verbis pientiſſimis abſolutionis formulam. In qua ait Franciſcus, id metu Majeſtatis Regiæ feciſſe, ne quid grauius, atque acerbius in rem ſacram, & in Eccleſiæ libertatem fieret.

Reuerentia erga S. Sedem.

CAPVT DECIMVM.

In publicis Calamitatibus, quomodo ſe gereret.

EX viginti octo circiter annis, quos in Epiſcopatu vixit Franciſcus noſter, totis ferè quindecim, non continuis quidem, ſed

interpolatis graſſata eſt peſtilentia, & fames publica in Ruthenenſem tractum. Omnium grauiſſima fuit ſeculi ſuperioris anno decimo ſexto. Eodem tamen tempore prouiderat Ruthenis Deus in Franciſco amantiſſimum, ac verè miſericordem patrem; quo ſtatuerat ipſe patris irati more, flagellum in manus ſumere. Neque, opinor, leue teſtimonium eſt ſingularis probitatis in Franciſco, quòd eum potiſſimè delegerit Deus, qui in hominum miſerijs, diuinas in ſeipſo miſericordias repræſentaret. Nemo vnus vnquam patris nomen tulit, qui in dandis erga ſuos paternæ Caritatis teſtimonijs, procurandáque valetudine, paria cum Franciſco feciſſe dici potuerit. Impleuit ille cumulatiſſimè Euangelici Paſtoris partes omnes. Nec ſuſtinere vnquam potuit flagrantiſſima ejus Caritas, vt vel tantillo tempore ab Diœceſi abeſſet, cùm aberat ab ea Sanitas. Obſeruaui ego ſtudioſiſſimè ſingulos hos ſæuientis luis annos, nec vno admodum deſideratam Franciſci operam, ac præſentiam deprehendere potui. Imò ſi fortè ab Ruthenis longiùs eum publica negotia diſtinerent, primulo recrudeſcentis peſtilentiæ rumore, ad cariſſimum gregem reuolabat. Hoc de quo dicebamus ſextodecimo ſeculi ſui anno, & diuturnior fuit, & grauior annonæ & morbi ſæuitia; pedem tamen ille Ruthena non extulit, niſi vt ſingula oppida, ac loca, quæ in ea Diœceſi pluſcula quidem ſunt Epiſcopalis priuatim ditionis, percurreret. Quibus in omnibus, ſeriò ac ſeuerè, intentata anathematis pœna, & abrogationis, juſſit ſuos ſibi omnes Redemptores, Oecono-

Charitas verè Paterna.

Peſtis tempore præſentẽ operam plebi commodat.

Eius liberalis ſolertia.

mos, Agentes in rebus, egenis de ſuo ipſius ære ſubuenire, prout monerent Parœciarum illarum Rectores. His verò injunxerat vt ſe decimoferè quinto quoque die, vel præſentes, vel literis admonerent, quid ex hoc opportunè decreto præſtitum eſſet, quid ſecus. Vlteriùs etiam proceſſit patris benigniſſimi Caritas; vlteriùs, inquam longè quàm præcipiat animo Lector. Eodem enim ipſo ſæuientis vltra modum luis, & famis, anno, quia bonus Paſtor accepit, patribus, matribúſque familias magno numero per Diœceſim abſumptis, orbas puellas dote caſſas & illocabiles, de pudicitia periclitari permultas poſſe, è gremio ſuo, pium, ac prudentem preſbyterum emiſit, qui ſingula luſtraret oppida, & earum puellarum ad ſe nomina referret. Quod pietatis Chriſtianæ munus, tanta fide ille expleuit, vt conſtet hujuſmodi puellas tenuioris fortunæ, quadringentas ſexaginta intra biennium conſequens, in matrimonio collocatas, Franciſci vnius ſumptibus.

Virgines dotata.

Vt verò publicam omnium ordinum Caritatem prouocaret, & animi ſui ſenſus in alios transfunderet, encyclicas literas ſcripſit ſpiritu illo diuino pleniſſimas, quo feruebat ipſe. In ijs, Indulgentias, quas ab Sede Apoſtolica in id ipſum obtinuerat, offerebat illis omnibus, qui egentibus & ægris, de ſuo liberaliùs prouiderent. Præſcriptas à ſacris Canonibus largitiones Eccleſiaſticorum beneficiorum poſſeſſoribus commendabat, interpoſita comminatione diuini judicij. Eorumdem autem Redemptoribus ſub anathematis pœna injungebat, vt ne dominorum

Literis Paſtoralibus omniũ Caritatem prouocat.

in ea re voluntatem, & juſſa fraudarent. Politiæ denique publicos Rectores; ac priuatos ſamiliarum, ardentiſſimis ſelectorum verborum facibus vrgebat, ad curam adhibendam emendandis publicis, ac priuatis moribus; vt agnoſceret vnuſquiſque Dei flagellantis manum, & vocem ad pœnitentiam vocantis.

Statuta in publicos peccatores. Ad hæc etiam ſua vota validiùs promouenda, Synodum Octobri menſe de more celebrauit, quamquam graue in conueniendo ſubeſſet periculum. At quis Parochorum detrectaret, quod ſubiret periculum Antiſtes? Renouata ſunt in ea Synodo priora ſtatuta Franciſci in publicos Aleatores, Ganeones, Vſurarios, Blaſphemos. Decreta in primis de nouo ſolemnis, ac ſtata ſupplicatio Cleri, Religioſorum, ac populi ſimul, per vniuerſam Diœceſim, ad ſingulas Eccleſias; dum deſæuiret lues. Quæ quia ſupplicatio ſingularem pietatis odorem habere videtur, intereſt publici exempli vt hîc enarretur.

Supplicationes decretæ in 7. peccata m. Sanctæ Romanæ Sedis venerator eximius, & æmulator pius Franciſcus noſter, magnum Gregorium, in ſuppari caſu imitari voluit. Ergo vt Gregorius Septiformes, itâ ſeptemplices ipſe quoque Litanias, ſeu ſupplicationes inſtituit. Decreti hæc verba ſunt. *Ordinamus ſupplicationem hujuſmodi cum ſtatione ſeptemplici, contra ſeptem mortalia aduerſantia vitia repellenda. In prima autem ſtatione, exorabitur ſumma & æterna Trinitas. In ſecunda, Saluatoris Ieſu Chriſti Natiuitas. In tertia, Spiritus Sancti omnia proſpicientis benignitas. In quarta, venerabilis ſanctæ Crucis, in qua Saluator noſter*

pependit, & nos de morte æterna redemit, triumphus, & poteſtas. In quinta, Beatæ Mariæ Virginis glorioſæ genitricis filij Dei Virginitas. In ſexta, Beati Michaëlis, & Beatorum omnium Angelorum, & Archangelorum Clientelaris paternitas. Septima, Beatorum Petri & Pauli, cæterorúmque Apoſtolorum, & omnium aliorum Sanctorum patrocinium, & perpetua ſecuritas.

Quæ prima eſt facta Ruthenæ ſupplicatio, in ea interfuit Franciſcus; ac tum primùm Franciſcanum cingulum, veſtémque Tertianorum (quos vocabant) Fratrum de pœnitentia, induit. Atque ità Leucophæatus, ac cinctu pio conſpicuus proceſſit in publicum, apertóque capite, ac junctis, elatíſque ad pectus manibus, Deo cum plebe ſupplicauit: tanto pietatis ſenſu, vt omnium in ſe conuerteret oculos, lacrymas cieret, atque ſingultus. *F. Tertianorũ veſtem induit.*

Hoc publicæ pietatis munere perfunctus, ad grauiora Caritatis exempla ſuccinxit animum. Duo inſtitui curauit Noſocomia, peſtiferâ lue laborantium; quæ ambo deinde ipſe diebus ſingulis præſens luſtrauit, porrecta ſæpe manu propria, languentibus Euchariſtia. Nec deſtitit à ſacro impertiendo viatico, aut excipiendis peccatorum confeſſionibus, donec reſédit vis mali. Quamuis omnibus ope, ac prece apud eum contenderent omnes vrbis Ordines, ne ſe tantùm odiſſet, qui ſuos tantopere amaret. Parceret ſibi, conſulturus ſuis. Sed fruſtra hujuſmodi orationes apud Franciſcum fuere, quòd contenderet, plùs illas humanitatis habere, quàm Diuinitatis. *Ejuſdẽ alia pietatis & Caritatis officia.*

Paucis ab inde annis, publicæ Galliarum,

& Eccleſiæ calamitati quantùm indoluerit pius Antiſtes, oſtendit tum cùm captus eſt ab Hiſpanis ad Ticinum Franciſcus Rex; cùm deinde ab ijſdem Clemens Septimus Pōtifex. In vtriuſque captiuitate, juſſit Franciſcus noſter inſtaurari denuò eaſdem illas ſeptemplices ſupplicationes. Capto quidem Rege, pro concione quam habuit, & in circularibus literis, lugendum Eccleſiæ dicebat; Matri nimirum pro filio primogenito. Capto autem Clemente Septimo, jure ſeptiformem Litaniam iterandam; & implorandam Clementiam diuinam. Illacrymandum verò Pontifici, vt Vicario Sponſi Eccleſiæ Chriſti Domini. Inter concionandum, ea de Pontificia, & Romana clade diſſerüit tanto animi affectu, in locum illum ſcripturæ, *Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris*, vt fleuerit ipſe, vbertim, vbertim & populus vniuerſus. Hoc etiam adjecit ſeptem ſtationibus, quas de concione obijt ipſe per vrbem; indixit per Diœceſim; vt narrationem in ſingulis vnam de hiſtoria Euangelica patientis Chriſti, ex ipſo altari, aut ex Ambone, recitari volüerit. Cùm diceret, pati Chriſtum Dominum in Vncto ſuo.

Veneratio erga S. Pontificem.

Thren. 4. 20.

CAPVT VNDECIMVM.

De ſtudio Epiſcopalium Viſitationum.

Viſitationes præfert F. alijs

QVo in pretio apud Franciſcum eſſent Diœceſeos ſuæ Canonicæ Viſitationes, ſatis ſuprà jndicatum eſt, cùm alias ferè omnes occupationes, aliena

negotia diceret, quamtumuis illuſtria. Legatus Apoſtolicus, Regius Orator, Rector Prouinciarum; tenuit ſolemne ſuum, & inter obeunda illa tam grauia, támque ſpecioſa munia, partem tamen aliquam annui curſus inuiſendæ plebi ſuæ ſepoſitam voluit. Per poſtrema etiam vitæ tempora, ætate, & inualetudine granis, ab illo pietatis Epiſcopalis exercitio nunquam vacationem ſibi conceſſam putauit. Atque adeò vitam ipſam eidem impendiſſe videri potuit, vt ſuo loco dicemus. Paucis ante obitum eius annis, diuino permiſſu factum eſt, vt ei tanta arte, atque calliditate affingeretur apud Regem calumnia, vt eius juſſu, & Senatuſconſulto magni Concilij, dies illi præſenti dicta ſit, juſſúſque Pariſios adire cauſam dicturus. Vexabatur tum vehementiùs ſolito grauitate morbi, quo dudum tenebatur. Erat is hernia ſeu Ilium effuſorum prolapſio, ac procidentia, cuius dolore nonnunquam ad grauiorem vſque febrim laborabat. Medicorum ergo tunc ſententiâ, vetitus eſt Pariſienſem profectionem ſuſcipere, ſi valetudini conſultum vellet. De quo Procuratorem ſuum Pariſijs agentem monuit ille quidem, ac profectionem eo nomine deprecari mandauit. Inſtabant enimuero aduerſarij, quòd dicerent quo tempore Franciſcus exuſaret inualetudinem, eodem illum in medio ſolitarum per Diœceſim viſitationum curſu verſari. Abſtineret igitur properatò ſcripſit Procurator, abſtineret ſcilicet, & in aliud tempus, differret noxias cauſæ ſuæ oberrationes. At reſcripſit Dei fidelis ſeruus, ſuperioris ordinis illas eſſe præſentiæ ad plebem commodationes.

omnibus miniſterijs.

Etiam cum periculo valetudinis, & damno.

Mirabilis eius hac de re ſenſus.

Ac lubentiùs laturum ſe Pariſienſis abſentiæ peractum reum mulctari, quàm apud Deum abſentiæ Ruthenenſis. Atque hîc elata commotiùs voce, Prophetæ locum ſubjecit. *Vbi eſt grex qui datus eſt tibi? pecus inclytum tuum? quid dices cùm viſitauerit te? nunquid non dolores apprehendent te quaſi mulierem parturientem.* His tamen ad Procuratorem ſuum literis, ſubnecti voluit, nouum Medicorum placitum, ſcripto authentico juridicè conceptum, quo cenſebant illi, Franciſco noxias quidem grauiter eſſe per Diœceſim itationes, quibus abſtinere nollet; profectionem verò Pariſienſem, omnino lætalem fore. Quod vbi eſt Cognitoribus delatum, commoda defenſioni decreta eſt comperendinatio: ac deinde manifeſtæ tandem calumniæ deprehenſus aduerſarius.

Baruch cap. 13. v. 30.

Inuictus animus, in laboribus viſitationum ferendis.

Nec minùs mirum profectò eſt, quod diaria conſtanter adnotant, Franciſcum iam penè Septuagenarium, ſemeſtre totum nulla quiete interpolatum in obeunda Diœceſi inſumere ſolitum. Qui nullo non die ad populum concionaretur, atque interdum quater; non perfunctoriè, pauculis verbis, ſed, quod obſeruant Commentarienſes, ſuo more, & contentiùs, & prolixiùs. Qui inter tot itinerum, ac negotiorum moleſtias, conſuetum vitæ rigorem contumaciſſimè retineret; & præſcripta ſibi certis diebus jeiunia, ſanè auſtera, ſeruaret. Tanta vis eſt, aut conſuetudinis, aut ſanctæ, & generoſæ deſtinationis. Aſſuefactus ab inito Epiſcopatu & antè, Apoſtolicis hiſce officijs, perſtabat infracto animi vigore; & ſenex, ætate integros, laborum aſſiduitate, & grauitate frangebat.

Vt

Vt erat imago, ac ſpecies ſacri huius viſitationum miniſterij, præcellentis apud hunc Dei ſeruum dignitatis; itá ſeſe præcipuo quodam ſtudio ad idipſum nouo ſemper in ſingulos annos feruore accingebat, nouo ſemper animi apparatu. Paucis antequam proficiſceretur hebdomadibus, recipiebat ſe ad vnum aliquod de Epiſcopalibus Prætorijs, ſeu caſtris, pro anni varia tempeſtate, & opportunitate tractus, quem erat luſtraturus. Eo in receſſu etiam ſolitudinem à familiæ miniſtris, à terrenis omnibus negotijs captabat ſollicitè. Viſitantis Spiritus ſancti priùs in ſe excepturus radios, quos in alios deinde effunderet. Ad hoc frequentia, ac duriora jeiunia vſurpabat, vigilias prolixiores, vberiores in egenos largitiones, precationes ferè perpetuas, meditationes, lectionéſque ſacrarum litterarum, ac piorum libellorum. Quibus ſecum perfunctus exercitationibus, tum demum cœtus aliquot celebrabat, intra ſecretius plerumque conclaue, ijs de rebus, ac negotijs quæ ex vſu videbantur, ad rectam atque frugiferam viſitationem. In qua quo ſe gerere ordine, ac modo ſoleret, verbo vno dicam, cùm neque pluribus explicari ſatis poſſit. Veterum ille, ac recentium ſacras Canonum ſanctiones, & peculiares Deceſſorum ſuorum obſeruabat accuratiſſimè. Addebat de ſuo, quod erat è re nata commodum. Magna majoribus curis, minima quæque non leuibus proſequebatur; ſolitus dicere cum Eccleſiaſte. *Qui timet Deum nihil negligit.* Quos verò fructus quàm vberes meſſes, ex hoc tanto apparatu, tanto cultu perciperet, longum

Vt ſe ad viſitationes cõparabat.

Exacta omniũ cura.

ſanè eſſet ediſſerere. Abſtinendum mihi in tantillo opere. Per ſe ſatis Lector intelliget; tam inſignem, tam aſſiduam induſtriam, tam eximiam rerum gerendarum peritiam, frugem non vulgarem polliceri.

CAPVT DVODECIMVM.

Reformatio Kalendarij, & piæ Inſtitutiones.

IRREPSERANT in Kalendarium Ruthenenſe multa perperam, vel longa temporum diuturnitate, vel Majorum ignorantia, ac ſimplicitate. Omnia emendanda ſuſcepit Franciſcus prioribus ſtatim initi Magiſtratus ſacri, non dicam annis, ſed diebus. At erat hæc operoſior emendatio, & paulò difficilior, quàm prima ſe ſpecie oſtentet. Perrupit tamen obices omnes Franciſci conſtantia decennalis; ac tandem Cleri conſenſu ratio totius Diuini officij ad Romanæ Eccleſiæ formam redacta eſt. *Ne malleus diſſonæ varietatis* (vt alludens ad Salomonicum templum loquebatur Franciſcus) *in domo Domini audiretur.* Inter alia inſtituta feſta, celebre eſſe voluit Beatiſſimæ Virginis Conceptæ, Salutatæ, Aſſumptæ in cœlos. His omnibus feſtiuitatibus ſingulares cultus præſcripſit, qui ſpirant ſingularem quoque in eamdem Virginem pietatem. Qui peculiares induti cultus etiamnum vigent, & Inſtitutoris ſuauem memoriam

Romanæ Eccleſiæ ſingularis veneratio.

Cultus B. Virginis.

alunt. Officium Conceptionis à Bernardo Nogarola, juſſu ac ductu Sixti Quarti ſummi P. compoſitum, primus in Galliam, adhuc Canonicus Ruthenenſis induxit; primus inter Galliæ Antiſtites in vſum Eccleſiæ ſuę, & Diœceſeos vniuerſæ. His ſuppares plurimas Inſtitutiones prætermittimus ſtudio breuitatis; hanc nefas eſt præterire, quam etiam ipſe ſollicitiùs ſtabilire voluiſſe viſus eſt. Feſtiuitatem, inquam, Angelorum Cuſtodum, ſeu, vt apud Ruthenos loquuntur ab ipſo exordio Inſtitutionis, proprij cuiuſque Angeli. Porrò, vt Sixtus, Bernardi Nogarolæ opera in conſtruendo Conceptionis officio fuerat vſus; ità Franciſcus operam Ioannis Columbi Epiſcopi Troiani, & Suffraganei Anicienſis adhibuit; cùm primùm ex Romana Legatione reuerſus eſt. Quam celebritatem, vt optimo jure ſtabiliret, atque in poſteros tranſmitteret obſeruandam ſolemniori apparatu, & cultu, ſummorum eam Pontificum auctoritate ac decretis firmatam voluit. Vt ex diplomatibus conſtat, atque alijs indubitatæ fidei monumentis. Iulij ſecundi viuæ vocis Oraculo; Leonis Decimi, & Clementis Septimi Bullis.

Feſtiuitas & officium Angeli Cuſtodis.

Angelicæ huius feſtiuitatis ex Apoſtolica conceſſione, primus, ac princeps in Eccleſia Auctor, primus quoque ſacrum de ea, ſeu de proprio vniuſcujuſque Angelo fecit, anno ſeculi ſuperioris viceſimo ſexto, Iunij tertia die, & Dominica. Fecit autem propalam extra Ruthenenſis vrbis muros, ad pomœria, vbi lata planities exporrigitur ad Cœnobium vſque Carthuſianorum; quorum ad ædem excitatum erat altare multis gradibus ſublime;

& latè longéque conſpicuum. Adiecerat Clemens, Franciſci rogatu pleniſſimam indulgentiarum gratiam, iis omnibus qui priori huic de Angelis Cuſtodibus miſſæ præſentes adeſſent. Quare tantus eò confluxit hominum numerus, non ex Diœceſi modò Ruthenenſi; ſed ex Gallia vniuerſa, vt plus quàm centena Externorum hominum millia interfuiſſe, memoriæ traditum ſit ab iis qui præſentes aderant.

F. Miſſam de Angelo C. primus celebrat.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Franciſci Obitus, & Elogium Sepulcrale.

AD eos feſtos dies (de quibus ſuperiori capite) legitima pompa, & ſolemnitate qua præſcripſerat Dei ſeruus, magnæ Matris, atque Angelorum cultor eximius celebrandos, reditus attribuit de ſuo ampliſſimos. Quam in rem opimum, ac nobile Dominium, immunéſque agros ære ſuo priuato emit, & Eccleſiæ ſuæ Cathedrali in poſſeſſionem perpetuam ſolemnibus tabulis donauit. Hæ tabulæ tertio tantùm, aut quarto die ante obitum Franciſci, ritè obſignatæ ſunt à contrahentibus. Vt inter Serui Dei actiones hæc ferè poſtrema eſſet, quæ plus commercij cum cœlitibus habere videretur.

Fr. inter viſitandum

Sub deſinentem Octobrem, verſabatur, vt indicatum eſt à nobis ſuprà, Franciſcus in medio ſolemnium ſuarũ viſitationum curſu;

quinto circiter ab Ruthena milliario ; cùm fortè, guſtato neſcio quo cibo, tentari eius valetudo cœpit, ac repentino deinde ſymptomate etiam grauiùs periclitari. Delatus ergo Ruthenam, altero deinde die, & ſecunda de meditullio noctis hora, deceſſit de vita ; haud paulò celeriùs quàm ſuſpicarentur & medici, & domeſtici. Quo de repentino obitu, ſic ait in Diariis ſuis Lancellotus Paſcalis, qui ſeruo Dei erat à ſecretis, & Commentariis.

morbo corripitur,

Anno milleſimo quingenteſimo viceſimo nono, & die prima menſis Nouembris hora ſecunda poſt mediam noctem ; Optimus Ruthenenſis Præſul FRANCISCVS DE STANNO, breui ægritudine correptus, mortem obÿt apud ædes Epiſcopales. Cujus anima quieſcat cum Beatis. Nihil quod juſti, quod pÿ, quod ſancti, quod denique virtuoſi foret in Pontificatu agere prætermiſit. Pauperum pater. Solos ſuos deſolatos relinquens. Raptim præuentus.

Eius Elogium.

Elatus eſt frequentiâ populorum, quanta Ruthenæ eſſe poteſt maximâ. Singulari pietatis potiùs quàm mœſtitiæ omnium ſenſu.

Populi in eum amor &c.

venera-tio. Non quòd grauis non eſſet omnibus, eius obitus; ſed quòd præcepta animis, de eius apud Deum meritis opinio, feliciſſima quæque filiis de optimo patre polliceretur.

Vbi ſe-pultus. Mandatum ſepulturæ corpus eſt, eo loco quem ſibi teſtamentariis tabulis ab Capitulo concedi petierat. Intra ſanctuarium, ac citra ſuppedaneum maioris altaris, æquo ſolo; ſub lamina ex auricalcho; in qua eſt eius effigies ſupino ore iacentis & monogramma duntaxat. Subiecta verò, infime loco ſub pedibus inſcriptio in hæc verba.

D. O. M.

Epitaphium. *Obijt R. in Chriſto Pater* FRANCISCVS DE STANNO EPISCOPVS RVTHENENSIS. *Omnium conſenſu, ob ſuas ingentes virtutes, electus olim à magno Concilio Regis Senator. Et decretorum Doctor Papienſis eximius. Vicelegatus in Francia, & Auenione. Anno ſalutiferæ Incarnationis* M. D. XXIX. K. *Nouembris, qua die eſt cele-*

bre feſtum omnium Sanctorum. Qui ex nobiliſſima familia de STANNO *etiam Ruthenenſi, pro meritis inenarrabilibus inſignita, & dotata ſtemmatibus, & ſignis Regijs, ortus. Vixit annos ſexaginta nouem; in Epiſcopatu octo & viginti. In Christi pauperes liberaliſſimus, in religione Dei, & cultu, die ac nocte pientiſſimus; in inſtaurandis, & nouiter conſtruendis ſacris, ac Deo dicatis templis, & alijs ſuæ Eccleſiæ ædibus magnificentiſſimus. In aſſeruandis Eccleſiæ juribus omnium diligentiſſimus. Et qui neminem verbo aut opere vnquam læſit, aut triſtem à ſe diſcedere permiſit. Stylum, & leges fori, ſiue Curiæ*

ſuæ in melius reformauit. Præclaras in ſua Eccleſia cùm pro ſe, tum pro defunctis parentibus, domeſticis, & amicis, ordinationes ſumma ſua impenſa fieri curauit. Suam Diœceſim & plebem ſibi commiſſam nunquam deſerens; ſummo omnium deſiderio Cœlum, quantùm piè credimus petijt, ſuam plebem, & ſuos feruentiùs, & propiùs Domino IESV, ſuæ pientiſſimæ Matri, Sanctis omnibus commendaturus. Faciat D. IESVS, vt vota noſtra in ſummam ejus gloriam, ſuæ immenſæ Majeſtati & ineffabili pietati accepta, grataque ſint. Amen.

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

De præcipuis Franciſci Virtutibus.

PIETATE, & virtute ſingulari illuſtrium hominum, ità ſpectanda vita eſt, quomodo inſignium in regenda Republica, aut in arte militari virorum ſpectari vita ſolet. In horum deducenda hiſtoria, aut fortitudinis vbique occurrunt exempla, aut prudentiæ. Sic etiam in illorum deſcribenda vita, virtutum exempla perpetuo nexu contexuntur. Hæc in alterutris exempla, qui ſepoſita ſeorſum ab commemoratione rerum geſtarum vellet, idem illi faceret, qui ſanguinem, vnam admodum in partem humani corporis includeret; faceret nimirum inanime. In priore parte dum nos, de Franciſci noſtri rebus geſtis, obitíſque muneribus diximus; de eiuſdem probitate, ac cæleſti quadam virtute, cathenatim per exempla deducta narratio eſt. Non igitur hîc nouarum virtutum imaginem adumbramus; ſed virtutum exempla, in ſua capita digerimus: pro eorum multitudine, ſanè pauca; pro inſtituta breuitate, ſatis multa.

CAPVT PRIMVM.

Liberalitas, & Magnificentia.

§. 1. *Fr. in ſacra omnia magnificus.*

ALTERA ferè abhinc pagina legere licuit quod eſt de Franciſci liberalitate ac magnificentia inſcriptum tumulo eius Elogium; vbi Dei ſeruus jure ſuo, ac merito appellatur, *In Chriſti pauperes liberaliſſimus; in inſtaurandis, & nouiter conſtruendis ſacris, & Deo dicatis templis; & alijs ſuæ Eccleſiæ ædibus magnificentiſſimus. Qui præclaras in ſua Eccleſia, tam pro ſe, quam pro defunctis parentibus, domeſticis, & amicis, ordinationes ſumma ſua impenſa fieri curauit.* De liberalitate in pauperes deinde narrabimus; nunc de eius in res ſacras, in Dei cultum, & gloriam, magnificentia dicemus carptim aliqua.

§. 2. *Erga Eccleſiam Cathedralē.*

Eccleſiæ Cathedralis Ruthenenſis, ad Ciuitatis muros, & Epiſcopium inædificata, magnifico certè opere ab Franciſci Deceſſoribus; pro latitudinis ſuæ modulo, videbatur carere legitima longitudine, ad tertiam ferè partem, ſi majorem fornicem ſpectas. Vt ſpatium laxaret, qui proximè Franciſcum anteceſſit Bertrandus Calenconius, partem Epiſcopij deturbauit, in qua, quod deerat longitudinis conſtruere paulò ante obitum cœpit. Cœpit, inquam; at Franciſcus opus inchoatum, annos plures continuauit; abſoluit tandem. Deturbatum verò ex parte Epiſcopium, proximo loco reſtituit. Vbi

etiamnum turris ab eius cognomine dicitur. Sanctuarium eiuſdem Eccleſiæ, quia pro reliquæ molis magnificentia, plebeium, & inelegans apparebat, ſplendidiſſimè ornauit, ſenis ex Auricalcho candelabris humani corporis craſſitie, conformi, ex arte ſublimitate, in columnarum modum. Repagulo item eodem ex metallo, magna cura ab extrema vſque Germania, exportato. Quod quia genus metalli rubiginem facilè contrahit, annuo cenſu inſtituto, eidem toti operi, aſſiduam Aurificis manum in perpetuum prouidit. Chori ſeptum ex candido lapide inchoauit, artificio, & elegantiſſimo illo, & ſumptuoſiſſimo. Preſbyterium eo dumtaxat circumductum. At ſtatuerat Franciſcus, vt ex inſcriptione, aliiſque monumentis conſtat, perpetuum ambitum toti Choro, eadem ex materia, paríque ſtructuræ elegantia circumducere. Quod erat liberalitatis ad ſtuporem munificentiſſimæ; ſi ſumptus expendas. Abſoluiſſet haud dubiè, ſi fuiſſet diutius in viuis.

Nihil tamen æque ſtuporem parit, quàm admirabilis illa Campanilis eiuſdem templi machina. Quam tamen hîc in tanto properandi ſtudio deſcribere non vacat vniuerſam; leui tantùm delineatione proſequemur. Eſt tota moles polito ex lapide, in turris apertæ modum, impoſita quadrangulæ pilæ, baſis inſtar, cuius angulos omnes octogona turris ſecat. Secturas verò angulorum, turriculæ item quatuor, eiuſdem figuræ occupant, ſic majori turri inædificatæ, vt ſenſim decreſcente opere ſeparentur, & pyramidum, ſeu potiùs conorum figuram referant. Faſti-

§. 3. In ædificatione turris Nolanæ.

gium earumdem inſident ſtatuæ quatuor humana ſtatura majores ; obuerſo illæ intra turrim vultu, dextra manu acerram præferunt. E maioris turris medio faſtigio, ſeu area ſuperiori,exurgit quinta item turricula, cui ſuperpoſita eſt Virginis effigies, in Cœlum aſcendentis geſtu ac forma; capite coronam præferens. Statuam ex integro inauratam impoſuerat Franciſcus ; at eâ de Cœlo tactâ, ſubſtituta alia quæ nunc viſitur ex mero lapide. Sructuræ porrò modum, & ornatum,nulla ſatis ars prædicet ; fama meliùs expromet quæ totam hanc molem etiam hodie inter orbis miracula collocat. Vt meritò à Maioribus creditum ſit, ab Cuſtodibus Angelis, quibus eodem tempore aras extruebat Franciſcus, quaſi gratiam repenſuris, & & in excogitando, & in exequendo, ſingularem operam collatam eſſe.

Creditur ope Angelorum vſus.

§. 4. *In Diœceſim vniuerſam.*

Sacras ædes per Diœceſim vniuerſam,tam multas à fundamentis ſua impenſa conſtruxit, refecit, reſtaurauítque tam multas, vt iniri earum numerum poſſe negent, qui eius ætate ſcripti ſuperſunt Libri Commentarij. Vix vlla parœcia eſt, in qua non extent eius munificæ manus aliqua monumenta. Supellectilis verò Eccleſiaſticæ, generis omnimodi ſuppeditata variis locis ab eo copia, fidem penè ſuperat, dum numerus reputatur, dum precium expenditur, dum obſeruatur elegantia.

§. 5. *In loca ditioni ſuæ ſubdita.*

Nullus denique eſt toto Ruthenorum tractu locus, ditionis priuatim Epiſcopalis, in quo, ſi quæ eſſent villarum, caſtrorum, Prætoriorúmve ruinæ, non eas nouis ſubſtructionibus in melius reparauerit. Nullus in

quo opportuna ſucceſſoribus non excitauerit ædificia. Nuſquam tamen, ſuum in vſum proprias ſibi ſubſtructiones poſuit, extra ſolum Epiſcopale. Quo in genere dignam immortalitate vocem creber vſurpabat. *Genus quoddam adulterij eſt, ornare ſponſam alienam.*

CAPVT SECVNDVM.

Pauperum amor, & Cura.

QVAMVIS erat Dei ſeruus in templorum cultum, & res omnes ſacras munificentiſſimus, erat tamen ab eo præſtitutus Munificentiæ ſuæ locus prior in cura pauperum. In iis, Chriſti dilecti ſui viuentem imaginem, in aliis demortuam agnoſcere ſe prædicabat. Non amaſſe pauperes ille, ſed amore pauperum vixiſſe dici poteſt. Vtque ſanguine vniuerſi vitam ducimus, ſanguine inquam partes omnes humani corporis permeante; ità in Franciſci vita, vbique pauperes; pueritiam eius educant, adoleſcentiam alunt, virilem ætatem corroborant, Senium ſuſtentant. Placet hîc aliquot de multis teſtimonia, primo aditu capitis huius afferre, eorum auctorum, qui eum in viuis dum ageret nouerunt. Iam antè laudatus inſcriptionis ſepulcralis locus; vbi dicitur *in pauperes Chriſti liberaliſſimus*. Alius item ab Amanuenſi, in quo, *Pater pauperum* nominatur. Eamdem Chriſtianæ ſapientiæ §. II

Fr. pater pauperum vulgo appellatus.

nomenclaturam Franciſci propriam ſua ætate fuiſſe, tradit, auctor Codicis manuſcripti apud Minoritas Ruthenenſes. Eſt ille Codex inſtar annalium, obſeruatis quæ in annos ſingulos contingerent rebus poſterorum memoria dignis. Dum illic de anno milleſimo quingenteſimo viceſimo nono agitur, qui vitæ Franciſci poſtremus fuit, hæc diſertè leguntur. *Obijt pia memoria R. P. D. Franciſcus de Stanno Epiſcopus Ruthenenſis, quandiu vixit fratres jugiter ſingulari affectu proſecutus. Hic Pater Pauperum fulget miraculis in Eccleſia majore ſepultus.* Capituli & Cleri Ruthenenſis Syndicus, iam ſæpe citatus, & viginti quinque teſtes apud Metropolitanum ſic profitentur interpoſita juramenti religione, dum de hoſpitalitate, & liberalitate in pauperes rogantur. Syndicus quidem. *Tanta* (inquit) *D. Electus eſt hoſpitalitate, vt penè totas ſuas facultates, & fructus beneficiorum ſuorum exhauriat, atque effundat. Proprijs & neceſſarijs ſumptibus parcit, vt neceſſitatibus egentium animarum valeat ſubuenire. Nemini claudendo gremium.* Viginti verò teſtes in eumdem articulum. *Hoſpitalitatem in domo Altobraci didicit.* A pueritia nimirum apud Patruum Abbatem, vt à nobis quoque indicatum ſuprà.

§. 2. *Educatus ad pauperum amorem.* Altobracum (vt diximus) perantiquum eſt cœnobium, Chriſtianæ liberalitatis inſigne domicilium. Poſitum à Maioribus noſtris egenti in pauperibus ſuis Chriſto IESV hoſpitium. Non alibi vſpiam Galliarum profuſiores, ac conſtantiores fiunt elargitiones. Eo loci plerumque pueritiæ Franciſcus

egit, vnà cum Antonio fratre Epiſcopo deinde Enculiſmenſi. Illic vterque Patrui ſapientiſſimi auſpicijs, ac ductu, hoſpitalitatis poſuit tyrocinium. Certis enim eos ſingulorum dierum horis, ad ſtatas eleemoſynas ſiſtebat patruus, ad concurrentium egenorum, peregrinorúmque turmas: ac propriis vtrumque manibus iubebat in eos ſigillatim omnes, diribére coctum frumentum, tanta copia plerumque, vt ſupra quinquies millenos excreſceret numerus panum, quos tenellæ illæ puerorum manus, in egenorum ſinus fundebant. An poteſt eſſe Sacerdotalis, an Apoſtolici miniſterij, poteſt aliquod eſſe opportunius tyrocinium? Eius quidem ſpecie ità captus eſt Franciſcus, vt iam adultus, & Abbas & Antiſtes, cùm ruſticari per vrbana negotia liceret, egenos turmatim ad vicina templa ſæpe deduceret; & ſacris illic operatus, piis cohortationibus ad rectè viuendum animaret; ac demum ſub dio, & in virenti ceſpite, vt Euangelicos conuiuas Chriſti, allato per famulos cibo recrearet & potu.

Cibo & verbo diuino pauperes paſcit.

§. 3. *Quomodo bona temporalia diſtribueret.*

Quo primùm tempore ſui iuris effectus, ſuis ipſe auſpiciis viuere cœpit, ac familiam ſuam ſeorſum, atque ædes inſtruere: ſic rem domeſticam partitus eſt trifariam, vt redituum ſuorum omnium pars prior & potior in vſum cederet pauperum. Altera, in opera magnificentiæ ad Dei cultum, gloriámque ſpectantia. Tertiam demum ſibi, ac tuendæ familiæ ſeponeret. Prioribus duabus longè minorem. Ex qua tamen nonnihil ſubinde delibaret. Vt plerumque antè, annona domeſticos, quàm annus deficeret. Non ideo

tamen quis exiſtimet in ratione exigenda incurium Franciſcum fuiſſe. Quin imò ſua exigebat ille diligenter, vt liberaliter ſpargeret. Dicebátque frequenter, qui à domeſticis rationem adminiſtrationis non accuratè exigeret; peccare illum duo. Primùm quidem, quod hæc reos conniuentia Domini ſeruos faceret; tum deinde imparatiores ad bona opera Dominos.

Cæleſtis verè ſolertia:

§.4. Quæ iure debentur Eccleſiæ, non exigere; non dare eſt (aiebat) ſed peſſumdare. Quare anno quodam, cùm poſt ſemeſtrem abſentiam ab præcipuo Oeconomo rationem expenſi repeteret & accepti, articulum computorum aliquem fortè exactiùs viſus eſt excutere; adeò vt ampliùs ſcilicet inquirendum, de illo pronunciauerit. Paulò deinde poſt eodémque die, patri familias cuidam poſcenti, non leuem pecuniæ ſummam tradi, ſcripto, vt ſolebat, mandauit. Negauit daturum Præfectus ærario eius, qui audiendæ rationi præſens adfuerat. Vocatus proinde, obiurgantem Franciſcum ità excepit. Tu quidem (inquit) Domine tam moroſè rationem, ac tua exigis; tam effuſè deinde, & rerum, hominúmque neglecta ratione, diſpergis. Hîc Franciſcus. Næ! tu ô bone longè aberras. Hæc ego non exigo niſi vt donem. Pauperum iſta bona ſunt, ea ego reddo lubenter; exigo verò cum cura & fide, ne interuerſor ſim rei Dominicæ, & reus apud Cœlites peragar, rerum terreſtrium malæ adminiſtrationis.

Bona curat, non vt ſua, ſed vt pauperum.

§.5. Quadam fortè vice alia, cùm negarent adminiſtri quicquam domi pecuniarum aut tritici eſſe, & vrgeret largiendi neceſſitas,

quò

quò honeſtæ cuidam familiæ in præſens ſuccurreretur, exemit Franciſcus de digito aureum annulum pretioſiſſimo adamante inſignem, & patri familias in manus tradidit. Et hem, inquit, vel oppignera, vel, ſi lubet diuende. Quam profuſam Franciſci liberalitatem compenſare voluiſſe videtur Deus eodem ipſo die. Horrea enim ampliſſima quæ largitionibus exhauſerat penitùs omnia Franciſcus; ea repentè, tritico plena, ac referta, ad ipſa penè laquearia, reperta ſunt. Vt ſuo loco deinde, cùm de miraculis, narrabimus.

Annulum, & adamātem egeno donat.

Eiuſdem Sancti, & Cœleſtis conſilij fuit, pro hac ſacra & liberali parcimonia, inutiles omnes, & inordinatos euitare ſumptus. Inter quos recenſebat in primis ludum omnem aleatorium, quo ab infantia penitùs abſtinuit. Oblectamenta item, & animi relaxamenta preciosa. Profectiones, peregrinationéſque non admodum neceſſarias. Mutitationes, ſeu mutuas, quæ plus æquo fieri ſolent inter Nobiles, ad cœnam condictiones; ſuperfluáſque amicorum coitiones. Exquiſita præſertim nimis, & peregrina cibaria, atque exotica condimenta: patrijs tantùm eſcis, prouincialibus, ac parabilibus vti ſolitus. Venaticam familiam, ac ſupellectilem. Equorum, famulorúmque tumultuariam multitudinem; & comitatus luculentiorem apparatum, niſi cùm exigeret muneris publici, legationúmque ratio. Faſtum verò, vbique rerum, & temporis. Poſtremis vitæ annis, vnus admodum ei erat ad ſarcinas viatorias equus, quem fratri deinde Comiti teſtamento legauit. *Proprijs dinique* (placet §. 6.

Sumptus inutiles, reſecat.

Parce viuit vt liberalius largiatur.

enim iterum cum Syndico loqui) *ac neceſſariis ſumptibus parcebat, vt neceſſitatibus egentium animarum prouideret.* Quæ neceſſaria bene multi credunt, ea ſuperflua vocabat Franciſcus, ſua omnia diuino ſpiritu ac modulo, non humano metiens.

§. 7. *De domibus hoſpitalibus.* De Procotrophio, & Noſocomio ſuis ſumptibus ſtabiliendo cogitaſſe ſe, non ſemel dixit: at id conſilium depoſuiſſe (ad Carolum Nepotem ſcribit) quòd ſeculi illius tam graui, támque communi neceſſitati præſtabilius videretur ſuccurrere, quàm præſentium damno, poſterorum neceſſitatibus conſulere. Vtriſque non poſſe ſe, malle verò præſentibus. Sanè poſterioribus aliquot annis, quia fuerant illi duriores in vulgus, ità ærarium ſibi ſuum expilauit aliena indigentia: vt poſt eius è vita deceſſum, ſignatæ pecuniæ vix tantundem repertum ſit domi eius, quantùm ſatis eſſet alendæ in hebdomadas duas familiæ. *Statas à majoribus eleemoſynas tuetur.* Vt ergo domus hoſpitalis depoſitum conſilium vtcunque suppleret: quamdiu vixit, ſollicita ſemper ei cura, & cautio fuit, vt ne quid à liberalitate Maiorum, vel à ſacris Canonibus conſtitutarum eleemoſynarum, ac largitionum egentibus deperiret. Qua in re procuranda, inuicto ſemper, deſtinatóque animo fuit. Ita vt quamuis mira in aliis omnibus facilitas eius eſſet, in hoc moroſus videri poſſet. *Patron⁹ pauperum in Senatu.* Per difficiliora illa, de quibus dicebamus, tempora; cùm campeſtris neſcio quæ Eccleſiaſtica Societas, legitimas erogationes, & canonicas, tempeſtiuè facere differret, Syndicúmque fruſtra ſæpius admonuiſſet Franciſcus, tandem ingraueſcente periculoſiùs neceſſitate, cùm ſuis ipſe ex-

hauſtus eſſet largitionibus : imperatæ à legibus pecuniæ ſummā illam mutuò acceptam, in egentes diſtribuit, illius eiuſdem Societatis nomiue. Ac deinde Syndico diem apud Senatum Toloſanum dici curauit ; apud quem idem ipſe Franciſcus præſens egenorum cauſam egit, obtinuítque, raro Chriſtianæ pietatis exemplo. Idem ipſe, cùm eſſet magni Concilij Senator, præcipuus auctor fuiſſe traditur Ludouico Duodecimo legis illius, regno Chriſtianiſſimo digniſſimæ, vniuerſim ſanciendæ, qua præcipitur, vt in omnibus regni tribunalibus, prior locus ſit diſceptandis pauperum cauſis.

Apud Regem.

§. 8.

Caritate omnes egẽtes complectitur.

Amor ille ardentiſſimus pauperum, tam amplos in corde Franciſci laxauerat ſinus, vt omnes, ſingulóſque cujuſuis conditionis, ætatíſque egenos, totius, quanta quanta eſt Diœceſeos, complecteretur. Nemini claudendo gremium, inquit Syndicus. Rectiùs itaque de Franciſco dici poſſet, quod Orator vetus de ſuo Principe, *Tam velox erat potentia eius, tamque in omnia pariter intenta, & accincta, vt triſtius aliquid ſeculo ſuo paſſis, ad remedium, ſalutémque ſufficeret, vt sciret.* Eorum omnium nomina in album ſibi referri curauerat, quod ſubinde retractaret. Eáque de cauſa non ſemel miſit qui eos oppidatim recenſeret. Cuius non pauca adhuc monumenta ſuperſunt in tabularijs Stannicæ domus. Solemne illi erat in chartulis erogatorijs quibus ab Oeconomo, à Præfecto ærarij, aut horrei, aliíſque, eleemoſynæ nomine aliquid de ſuo elargiri jubebat, genus neceſſitatis, & erogandi cauſam, vt ſacri Canones præcipiunt, Magni Gregorij exem-

plo, adſcribere. Harum chartularum tam multiplex varietas eſt, vt nulla videatur familijs ingruere neceſſitas à penuria poſſe, cuius plures, ex ijs, ſchedæ mentionem non faciant. Hæ pleræque Franciſci manu, & chirographo obſignatæ ſunt, & populis iam venerationi habentur non inutili, quòd earum contactum benigna Dei manus ſalutarem frequenter præſtet morbis quibuſque depellendis.

§. 9. *Egentiũ infirmorum cura.* Inter obeundas ex more parœcias, egenos morbo diſtentos, ſi qui eſſent inuiſebat, ſi per negotia liceret; ſi ſecus per aliquem de ſuis. Nec illepidæ pietatis vox eius illa erat, qua huiuſmodi mortales, ſuam patientem Eccleſiam vocitabat; cui vtique beneprecari larga manu jura eadem mandarent; quæ ritus præſcribunt Epiſcopis, in precationibus, & luſtralibus aquis fundendis, ſuper iacentium in cœmeteriis oſſa. Pecunia ſemper aliqua donatos ægros illos, Parocho commendabat, à quo ſe deinde monitum volebat literis de eorum ſtatu. Harum literarum nonnullæ extant, in quibus ſic illos Parochi, aut Concionatores alloquuntur, Tuus (inquiunt) paralyticus, tuus hydropicus, ità habet. Verbis nimirum ad Franciſci caritatem paternam accommodatis. Ruthenæ dum moraretur, ægrorum pauperum cura, longè etiam maior, ſollicitum habebat. Et tenet Indigenarum animos opinio, à Maioribus per manus tradita, non interdiù tantùm, ſed nocte etiam intempeſta, ſi è re foret, ægrotantes eos inuiſere ſolitum, vno præeunte cum laternula famulo: ſalgama ad eoſdem, & dulciaria deferre. Per hyemem circumferri

§. 10. *Materna prorſùs caritas.*

etiam & ligna curabat, excitando intra tuguriola igni: quodam præſertim anno, quo nouem totas hebdomadas perpetuò ninxiſſe de Cœlo aiunt, in tantam copiam, vt conglaciante deinde niue, obſtructæ domorum fuerint fores, & inſeſſi paſſim vici. Noctu, diúque frequentem diſcurriſſe tunc Franciſcum ferunt, cum famulis aliquot: quorum alij carbones, ligna alij craſſiora, alij faſces ex ramalibus aridis: eſculenta alij, alij poculenta comportarent. Ipſe pauperrinorum domos per ſecundam non rarò contignationem, ac feneſtras, cum iis ingreſſus, ægros & alios oratione ſolabatur pluſquam materna; conuocatos ad caminum, luculento igne reficiebat & cibario: præibat ſacra verba ad fundendas Deo preces. Licet paterno ſemper affectu egentes ægros inuiſeret Franciſcus; intendebat tamen ſtudium, tùm maximè, cùm in extremis agerent. Eapropter, commendare ſolitus erat iis qui ægrotantes ſollicitabant, & vicinis etiam, vt cùm ingruere poſtrema hora videretur, moneri ſe curarent. Quo charitatis amabili præcepto frequenter abutebatur innocens plebis animus, in bonum etiam poſteritatis, quæ his exemplis egebat; & omiſſa Curionis, & ſacerdotum qui in promptu erant, opera, Antiſtes intempeſta nocte vocabatur. Adibat ille extemplò. *Moribundos juuat.*

§. II. De graſſante in populum lue, & Franciſci tum charitate, iam antè narrauimus. De paterno affectu erga Leproſos deinde narraturi. Hîc vnum tantùm adiicimus, in annonæ graui difficultate, ſingularis in pauperes amoris exemplũ. Sub ineuntem æſtatem nondum

Eiuſdẽ caritas de cælo comprobata. matura triticea ſegete, cùm propter præteritarum meſſium exilitatem, exhauſtæ eſſent penuariæ cellæ, etiam penè apud ditiſſimos: confluxit ex vicinis latè oppidis Ruthenam, egenorum, ac maximè puerorum ingens multitudo. Cui alendæ impar erat omnino Ciuitas. Ergo itare turmatim illi in proxima vrbi ſata, ſi quid quod eſui vel inter herbas commodum eſſet, occurreret. Matureſcebant iam fabæ: quo frugum genere conſitus erat quidam ſuburbanus ager ſecundùm viam, quam Franciſcus fortè inierat. De via ergo in magnum puerorum numerorum incurrit, quos vicinus Agricola aut Villicus, lapidibus, fuſte, ac calcibus exigebat de fabacea illa ſegete. Hîc illi præſentis optimi parentis pauperum implorare opem, fame ſe enectos ab vrbe, ab agris vndecunque exigi. Indoluit ſcilicet in Chriſti viſceribus Dei ſeruus: & Agricolam rogare cœpit, vt liberalius cum innocente ætate ageret. At ille admiſſurum dixit, ſi damnum ipſe rependere vellet: rependam (inquit) cumulatiſſimè cum Deo. Iam adeſte, conuolate, inquit Villicus Ruthenico idiomate paſcite pueri, ſeu paſce pueritia: famem ſatiate per horam: at fabarum ne quid aſportate. Subſtitit eo in ſpectaculo Franciſcus dum pueri veſci inciperent, quibus vnum de comitatu præpoſuit qui precium Villico penderet, & puerorum deinde ſingulis aliquid pecuniæ impertiretur. Bene ergo precatus Villico & pueris, viam proſecutus eſt. Tantus verò fuit illo ex agro meſſis tempore, fabarum prouentus, tanta copia, licet non leuiter vaſtato ab triginta & vltra pueris largè famelicis, vt ſtupori

Paymaynade.

fuerit ipſimet Villico, ac vicinis agrorum Cultoribus. Vnde impoſitum agro illi cognomen adhæſit, paſcite pueri. Quo etiamnum vulgò appellatur.

CAPVT TERTIVM.

Zelus Franciſci, & Charitas in Deum.

FRANCISCI zelus, in Deumque amor, quantus eſſet, quàm ſuis omnibus numeris, ac partibus conſtaret, in promptu eſt reputanti vitæ eiuſdem vniuerſæ contextum. Magnificum illum & verè generoſum fuiſſe, quæ ſuperſunt hodie monumenta ſatis probant; & ea quæ nos de eius liberalitate modò dicebamus. Fuit idem illi Dei ſeruo zelus ſyncerus, ardens, indefeſſus, & ordinatus. §. I. *Zelus ſuis omnibus numeris abſolutus.*

In magnis ponebat quidquid Deum, Deique ſpectabat gloriam; in minimis quidquid ſeipſum. Modus apud illum erat liberalitati, aut magnificentiæ, à ſynceritate zeli. Nihil frugalius eo, in vitæ vſurpandis opportunitatibus; nihil in diuino cultu quod parcimoniam ſuboleret. Amoris proprij vacuus, vacuos omnes amori diuino cordis ſui ſinus expanderat. Famulabatur in ſui ipſius corde Franciſcus regnanti Ieſu ſuo. De ſe humillimè ſentiens, de Rege ſuo, regiiſque rationibus ſublimia omnia cogitabat. Supra hominem, tum erectus, cùm ſui deſpector Deum *Zelus ſyncerus.*

vnum reſpiceret. Idem ſpiritus, qui ad magnifica omnia, ac ſuperna Franciſcum euehebat, abijciebat ad infima quæque cùm res exigeret. Imò ſphæra magnificentiæ ſuæ ſeruo Dei, Dei erat obſequium, vel inter abjectiſſima quælibet exhibendum.

§. 2. Imitari ſatagebat Principum Gratioſos, & Continuos; ſolertes, inquam Aulicos, qui Principem intra ſecretiora conclauia, ad Rempublicam ordinandam, ad grauiſſima diſceptanda negotia conſectati; eidem adeſſe ſtudent animum inter leuia remittenti. Aut veriùs, cœleſtis curiæ adminiſtros, Angelos æmulabatur, qui cùm Dei Patris in Cœlo ſemper vultum intueantur, pleniſſima conſiliorum communicatione fruuntur. Et Deo placendi gratia, de ſub eius throno in terras delati ad infima quæque miniſteria deſcendunt. Franciſcus ex Aulis Principum, ex adminiſtratione prouinciarum; ex Regijs Legationibus, ad curam deuénit lubens plebeiæ fæcis; ad Noſocomia leproſorum, ad tuguria peſte laborantium. Eodem animi ſenſu, eadem æquitate mentis, qua Romæ in Regiorum Oratorum aulam, & Vaticani palatij ſanctiora conclauia ingreſſus eſt.

Imitatio Angelorũ.

Sublimia, nõ magis.

§. 3. Fatendum ſanè eſt; quærenti ſyncerè Deum, Deum vbique occurrere. Quo tempore Franciſcus magnificas illas ſubſtructiones, ampliſſimis ſumptibus curabat, in Dei, Eccleſiæque ſuæ nobilem cultum: eodem vrgebat accuratiſſimè vel leuiſſima quæcunque occurrerent circa cultum eumdem miniſteria. Inter ſchediaſmata tabularij domus de Stanno, & Epiſcopij, frequentia viſuntur eodem die, annóque conſignata, quorum

Quàm infima zelus curat.

alia

alia continent expenſi rationes (omnem penè cogitationem ſuperantes) in extruenda ſacra æde Cathedrali, & Nolana turri: alia magno numero minutiores erogationes exhibent, in omnes infimæ plebis conditiones, in omnes miniſterij diuini vel tenuiſſimas partes, ſi modò eſſent ex vſu præſenti. Ex pauculis quæ ſubijcio, conijce. In ijs ſchedis erogatorijs, certas pecuniæ ſummas attribuit, aut alia huiuſmodi præmia, ac munuſcula, Clerico cuidam, quod concionum tempore, ſilentium fieri accuraſſet. Pueris quatuor, quòd Preſbyteris facientibus modeſtè & opportunè per annum apparuiſſent ſacri adminiſtri. Nolano item Cathedralis Eccleſiæ, quòd tempeſtiuè, & conſtanter ſignum dediſſet per hyemem. Alia denique donaria eis, qui templi maioris mundiciei, & decori præpoſiti, à ſordibus idem illud, & euerrijs mundaſſent. Non aliter olim magnus ille Hebræorum Legiſlator Moyſes, inter auguſtiſſimas de Dei cultu ſanctiones, non omiſit minutiſſima etiam miniſteria, ac ſupellectilia præſcribere. Eodem omnia illo ſpiritu, quem ex Dei familiari colloquio, & intuitu exceperat. *Qui Deum amat nihil negligit*, dicere ſolitum Franciſcum noſtrum frequentiſſimè, jam antè annotauimus.

Omnia complexus, quæ ad Dei gloriam.

§. 4.

Zelus eius, quomodo ardens ſimul & conſtãs.

Dixi ardentem ſimul, & indefeſſum, ſeu conſtantem eumdem fuiſſe Dei ſeruo zelum. Non has duas facilè dotes connectat vulgaris zelus. Ardor vim & violentiam habere videtur: vi & violentiæ conſtare perſeuerantia quomodo poteſt? Errant, qui ità ſentiunt. Vero & ſyncero zelo, innatum eſt, violento ſimul, & conſtanti eſſe, atque in-

defeſſo. Neſcit enim tarda molimina gratia ſpiritus. Zelus ſi verè fuit, nunquam deſinit, quandiu ardet. Eò perennior, quò feruentior. Franciſcus noſter Seraphicis, vt patronus, ardoribus ineuntem Epiſcopatum conſecrauerat. Creuit ille perpetim ignis ſacer. Oppreſſus ætatis, & morborum grauitate, perſeuerantiùs inſtabat Apoſtolicis miniſterijs; in ſalute animarum procuranda, in regenda, luſtranda, ordinanda Diœceſi, laborum magnitudinem diutius tolerabat, quàm quiuis de Comitatu florens, & vegetus. Callum ei nempe ſua in Deum & homines Charitas obduxerat. Feruor ſpiritus ab adoleſcentia, & longa deinde conſuetudo ſitis, famis, æſtus, frigoris patientiſſimum effecerat. Ex quo primùm regendæ Eccleſiæ præpoſitus eſt, nunquam ab incæptis deſtitit, aut conſilia ſemel Dei cauſa inita, depoſuit. Annos totos viginti ſeptem in ſtabiliendo Angelorum Cuſtodum cultu, inuicta conſtantia perſeuerauit, contra molem infinitam difficultatum quotidie exorientium, à prauorum Angelorum clandeſtinis machinationibus, aut ab hominum, ſiue iniquitate, ſiue imperitia. Primis item ſacri Magiſtratus annis, incubuit totis animi viribus in omnium Reipublicæ Ordinum Chriſtianam pietatem procurandam. Forenſem ſtylum in vtraque Curia ſua Ruthenæ Dominus, & Epiſcopus reformauit. Choro & diuinis officijs ſtatuta perpetua præſcripſit. Præſcripſit vniuerſo Clero ad morum, vitæ, veſtium, & conuerſationis emendationem idoneas leges. Populo item plebique ſibi commiſſis præcepta impoſuit contra prohibitos ludos, blaſphe-

Laboribus Apoſtolicis, aſſuefactus Fr.

mias, vſuras, & publica flagitia. Qua animi conſtantia, qua zeli firmitudine non eguit, vt quas leges zelus ſanxerat, vſus confirmaret. Eo præſertim ſeculo, quod fuiſſe deprauatiſſimum, hæreſum initia tùm coaleſcentium plus æquo probant, probant à Majoribus tradita monumenta.

Quamquam, magni zeli natura, ignem imitatur, quod eſt minimè omnium tractabile elementum, nec duci ſe, nec formari facilè ſinens; Franciſcus tamen in zelo ſuo temperando, eum modum adhibuit, quo ſolent machinatoriæ artis periti artificioſos ignes moderari, ſplendorem illis, figuram, & colorem contemperare. Ità Dei ſeruus, pro rerum, perſonarum, ac temporum varietate, diuino cultui Cœleſtis ſpiritus igniculos accommodabat. In procuratione diuinæ gloriæ, in tractatione negotiorum, ad eamdem gloriam conferentium, dummodo quod caput erat, ei ſua ratio conſtaret, acceſſiones ſeu lucri ſui, ſeu honoris, ſeu cujuſlibet rei alterius non morabatur. Deceſſorum ſuorum inſtitutiones pias, & antiquas, & recentes etiam tantùm affectas, omni ope promouebat, vt ſuas. Opera item, negotia, ædificia; & quidquid demum ortum à quouis habuiſſet, vnde nouus Deo parari poſſet honor. Quæ quidem omnia pluribus exemplis perluculentis confirmare in promptu eſſet, niſi breuitati conſuleremus. §. 5. *Zelus recti ordinatus.*

Immunitates locis, aut perſonis conceſſas ab Apoſtolica Sede; aut ſi quæ aliæ legitimi juris eſſent, eas intactas ſemper eſſe volüit. Quòd diceret, tantundem ſibi ſolicitudinis demi; oneris ſanè prægrauantis, eximi ſibi §. 6. *Erga immunitates, &*

Loca immunia, quàm æquus. tantundem. In obeunda ſolemniter Diœceſi, cùm fortè intra fines ditionis temporalis cujuſdam Abbatis verſaretur, & aliquas illic de more parochiales Eccleſias luſtraſſet, deuénit inſcius proximè quamdam ædem immunem. Quam etiam viſitandi gratia adire paranti, ſuperueniens Abbatiæ Syndicus, monuit, locum ab Epiſcopali juriſdictione exemptum eſſe. Hæſit in veſtigio pius Antiſtes, & ait, à ſuorum ſe nemine de immunitate monitum, juri communi obnoxium credidiſſe. Deſtitítque ab incœpto, dum de re conſtaret. *Quòd à capite*, inquit, *deſcendit, membra ne diſſipent.* Tum ex ſancto Gregorio locum ſubjecit. *Ep. 29. l. 2.* *Sicut ab alijs noſtra exigimus, ità ſingulis ſua jura ſeruamus.* At, quod fuit humanitatis & zeli, omni amore proprio defæcatiſſimi, ex priuilegio ſibi ab Apoſtolica Sede collato, centum dierum Indulgentias, hanc eamdem ædem recurrente anniuerſario feſti localis die, religiosè viſitantibus, conceſſit.

§. 7. *Suorum inordinatum zelum reſpuit.* Ejuſdem ordinatiſſimi zeli erga immunes fuit, quod hîc ſubijcio manſuetudinis, & charitatis ſynceræ exemplum. Conquenſem Eccleſiam, & Abbatiam juriſdictioni Epiſcopali, & viſitationi poſtliminio ſubjecerant Romani Pontifices. Hinc grauiſſima lis orta eſt, Abbate obſtinatiſſimè repugnante. Eodem litis, ac diſceptationis forenſis tempore, vacantium aliquot beneficiorum Eccleſijs Abbas Patronus Rectores deſignauit. Sed ij ex more, à Diœceſeos Epiſcopo inſtituendi erant. Hac arrepta occaſione, tam, vt videbatur, opportuna, Franciſci domeſtici obſtabant enixiſſimè, ne literæ concederentur.

Conceſſit Franciſcus. Vrgebant domeſtici, emendarentur ſaltem Abbatis literæ; & ijs verba adijcerentur ſolemnia, quibus ſubditam Epiſcopo Abbatiam conſtaret, delerentur contraria. Negauit Franciſcus. Inſtabant, minimùm, Franciſci literis ea verba inculcarentur (Abbatiæ nobis ſubditæ & obnoxiæ) In nonnullis permiſit Franciſcus, in aliquibus verò quod deſtinatiùs repugnarent deſignati, Abbatis haud dubiè iuſſu, non ea verba inſeri diſſimulandum Franciſcus cenſuit. Quòd poſt ſolemne examen, ij qui deſignati erant, ſeruo Dei, ad Eccleſiæ regimen viderentur aptiſſimi. Has huiuſmodi literas plures egomet vidi.

Quod hîc poſtremo loco de Clericorum examine diximus, ex occaſione ſubijciendum monet, quod in apicem calami venit, ſpecimen ſanè ſingularis in Eccleſiæ bonum, zeli. Eadem illa Charitas, quæ orbas puellas per totam Diœceſim inquirebat, quæ honeſtis matrimonijs collocarentur: eadem & puerulos orphanos colligebat, qui ad varias artes addiſcendas pro captu quiſque ſuo alerentur eodem ex fonte, vnde dotes puellis. Hoc eſt à Franciſci liberalitate. Si qui verò ad Eccleſiaſticæ vitæ munia præcipuas dotes habere viderentur, iis ad ſtudia ſumptus ſuppeditabat munificus Eccleſiæ ſponſus. Contigit etiã inter publica examina ſiſti aliquãdo adoleſcentulum indolis præſtantiſſimæ, qui tamen à literis minùs paratus, ſatisfacere Antiſtiti noſtro non potuit ex præſcriptis ab eo regulis, ſi quis à tonſura vlteriùs progredi vellet. Franciſcus, ne hoc tam commodo vt ſperabatur adminiſtro, fraudaretur Eccleſia;

§. 8. *Zelus circa teneram ætatem.*

cùm accepit ab ſtudiorum curriculo propter inopiam reuocatum eſſe; ipſe, de ſuo ſuffecit in annos quatuor, vnde inſtitui commodè poſſet. Vereor equidem, vt vbique Diœceſeon tam felici exitu ſubeantur examina.

§. 9. *Operarios Euangelicos, quos eligeret.* In eligendis, admouendíſque Euangelicis operarijs, nihil vſquam præiudicatum afferebat; aſſuetus vndecunque accerſere quos idoneos nanciſcebatur. A Franciſco iam ſeniore, iunior Epiſcopus ex vicina quadam Diœceſi, literis popoſcit, vtrorum potiùs vtendum cenſeret opera, Franciſcinorum, Sodalium, an Dominicanorum? Reſpondit Franciſcus, iiſdem verbis, quibus olim Guido Falconis tum Epiſcopus Anicienſis, Clemens deinde Quartus Pontifex Maximus vſus dicitur, cùm ex eo quæſiſſet vir quidam nobilis, vtro ipſe in ordine, Deo militaret. *Sic vni* (inquit) *eorum adhareas, vt animo ab altero non diſcedas*. Adiecit Franciſcus, vtrobique non deeſſe operarios, & commodos quidem. Probari verò ſibi maximè, qui inter eos diſciplinæ amantiores eſſent; eſſe nimirum optimum tyrocinium ad publicam ſalutem procurandam, ſtudium priuatæ, & propriæ.

§. 10. *De Religioſis operarijs quid ſentiret.* Ipſe quidem Franciſcus ab inito ſtátim Epiſcopatu, animum hac in re ſuum explicuit, in eo cœtu, quem coëgit ex moderatoribus ferè omnibus Religioſarum familiarum qui tunc in Ruthenenſi erant Diœceſi. Velle ſe quidem vti eorum Ordinum opera, in quibus Deus auxiliares copias Eccleſiæ ſuæ prouidiſſet; ſed optare vt ſe illi enixè præſtarent vocationi ſuæ idoneos. Muneris ſanè Epiſcopalis ſibi videri, optimorum

Imperatorum ſolertiam imitari, qui copias auxiliares ſociorum inexercitatas molleſcere atque hebeſcere non ſinerent. Eaſdem, cùm, prælio in hoſtes decernendum eſt, & acies ordinandæ, opportuno in rem communem loco collocarent. Qui ſecùs facerent improuidos illos eſſe, publicæque rei negligentes. Vitam porrò communem hominum ſuper terram, meritò in ſacris literis militiam dici; at vitæ Epiſcopalis dies omnes, ac ſingulos præliares eſſe. Daturum ſe operam, vt ne paratis auxilijs Eccleſiam defraudaret. Inuigilarent Moderatores diſciplinæ Religioſæ, quæ via eſſet optima, inſtruendis ad hæc ſacra arma ſubditis.

Qua mente, ipſe Franciſcus inter ſolemnes Diœceſeos viſitationes, ſi quando mora aliqua facienda erat in celebrioribus oppidis, ſolebat plerumque hoſpitari apud Cœnobitas: ad quos etiam frequentes de Euangelicis conſilijs, & Religioſa vita cohortationes habebat. Sic perſuaſus, vt aiebat, tantò promptiores, aptioréſque habiturum ſe in commiſſæ ſibi plebis commodum; tantò vtiliores, quantò eſsent ipſi ſuæ perfectionis ſtudioſiores. Quodam proinde cùm anno Ruthenenſem Diœceſim vniuerſam ferè grauior vrgeret peſtilentia; vocatos ad ſe Mendicantium Ordinum aliquot Rectores, rogauit quid ſibi ſubſidij ad ægrotorum curam, ſalutémque animi & corporis ſuppeditare poſsent? Cùm ſuos quiſque prolixè offerret in id Chriſtianæ charitatis munus. Laudauit ipſe promptam, ſuccinctámque voluntatem; at monuit paternè, meminiſsent, quod ſanctus tradit Antoninus in Chronicis, de lue

§. II. De perfectionis ſtudio.

Quæ cautela proximus iuuãdus.

illa memoranda quæ in orbem penè vniuerſum graſſata eſt anno milleſimo tercenteſimo quadrageſimo octauo, quàm grauiter illa diſciplinæ Religioſæ nocuiſse diceretur: inſertóque in Libri locum digito, Prouinciali Præpoſito cuiuſdam familiæ, qui fortè aderat, recitanda coram cæteris dedit ea quæ conſequuntur auctoris verba. *Tunc, vt dicitur, cæperunt Religiones Mendicantium, quæ florebant in Eccleſia Dei, relaxari, & tepeſcere; tum deficientibus in eis ex morbo pluribus patribus, & notabilibus viris, qui eas doctrina, & exemplis ſuſtentabant: tum ex cauſa, tot ſcilicet & talium infirmitate, relaxato rigore in cibo & aliјs. Ceſſante peſte rigor ille reparari non potuit, tepiditate ſuperuenientium, tam præſidentium, quàm ſubditorum.* In Chronico tit.21. c.8. §.3.

CAPVT QVARTVM.

De ſenſu Pietatis, & guſtu rerum Cœleſtium.

§. I. *Prima pietas, ſui pro Deo cura,*

DE Franciſco, quod proximè dicebamus, nihil in illo vnquam inordinati zeli deprehenſum fuiſse; probat etiam ſui cura potiſſima, amor orationis, & ſancti ſeceſsus. Ideo quidem opinor tam frequenter in ſchedis eius, ſeu propria manu, ſeu aliena, eius gratiâ, & juſſu deſcriptis, occurrit ſacra illa ſententia, *Ordinauit in me Charitatem.* Illam ore Franciſcus, illam calamo,

calamo, ac ſtylo, illam corde tractabat. Neque minùs aſſiduè ſancti Bernardi illam, *Cùm omnes te habeant, eſto & tu ex habentibus vnus; quid ſolus fraudaris munere tui?* Certè Franciſcum noſtrum graphicè depinxit in ſuo Epiſcopo Malachia idem Bernardus; cuius verbis animi mei ſenſum ſine fuco placet explicare. Non ità omnibus intendebat, vt ſe ſolum exponeret, ſolum curæ exciperet generali. Erat & ſui ſollicitus; ſeipſum cuſtodiebat. Ità denique totus ſuus, & totus omnium erat; vt nec charitas à cuſtodia ſui, nec proprietas ab vtilitate communi, eum impedire, vel retardare in aliquo videretur. Si videres hominem medijs immerſum turbis, & implicitum curis, diceres patriæ natum, non ſibi. Si videres hominem ſolum, & ſecum habitantem, putares ſoli viuere Deo, & ſibi. Sine turbatione verſabatur in turbis; ſine otio, tempus quod otio dederat, tranſigebat. Quomodo ocioſus, quando exercebatur in iuſtificationibus Domini. Nam etſi habebat tempus liberum à neceſſitatibus plebium, non tamen à ſanctis meditationibus feriatum.

Meritò in ſepulcrali Franciſci inſcriptione, dicitur, *in religione Dei & cultu, die ac nocte pientiſſimus fuiſſe.* Auditi pro Electione eius teſtes viginti quinque, ſummam eius in Deum pietatem fuiſſe aiunt; ſtudium orandi tantum, vt de eiùs prolixitate paſſim quererentur famuli; quòd abſolutis Chori publicis precationibus, ſæpè etiã moraretur, inter priuatas, aut in æde ſacra, aut in conclaui domeſtico impranſus, ac ieiunus, & ſuorum ità prandium longiùs differret. Manè §. 2. *Studiũ Orationis.*

quoque ſummo precibus incumbebat, & meditationi ſaltem integram per horam de geniculis ad maius altare; eodémque loci plerumque, vbi deinde ſepulturæ mandatum eſt corpus eius. In luſtranda, viſitandáque Diœceſi, etiam prolixiori tempore orabat: ac ſub vitæ finem, iter omne ferè precationibus, aut pijs de Deo, Deíque cultu colloquijs conficiebat, cum aliquo de comitibus, ac præſertim cum ſuauiſſimo conſorte pietatis Alano Varenio, cuius extant libri Commentarij in Cantica, & Homiliæ de laudibus B. Virginis, opuſcula lacte & ſucco cæleſti pleniſſima. Tanta verò ſuauitas erat ſuperfundentis ſe Numinis, vt ea ductus, ſolitudinem lubentiſſimè captaret. Si quid temporis vacuum ſupereſſet neceſſariis caritatis officijs, id omne lucri faciebat ſanctis ruſticationibus, & receſſibus. Vnde nouis ſemper conceptis ignibus, ad eadem opera charitatis, & officij Epiſcopalis reuertebatur.

Colloquia pia.

§. 3. *Amor ſancti ſeceſſus.*

Ex Prætorijs & Caſtris, quæ ſunt apud Ruthenos Epiſcopalis ditionis, ea maximè frequentabat, quæ commodiores ſeceſſus, inter ſyluas, rupéſque præbent. Illic non modò plures horas, ſed ſolidos nonnunquam dies ſolus agitabat. Sacras Cruces in vicino ſolo erigi curabat, quas inter precandum obiret; ad quas interdum, ſtationes diuturniores, ac horarum plurium habere poſſet. Ad decimum ferè milliare ab vrbe Ruthenenſi, caſtrum eſt in oppido non infrequenti, vlteriùs mons eminet tertio circiter milliari, huius in editiori colliculo, ædes ſacra Chriſti Domini magno Præcurſori. Ad eam ædem ſæpenumero itabat Franciſcus, ſacrum factu-

rus, comitante plerumque magno pauperum numero; quos, inter progrediendum vir Dei piis colloquiis ad pietatem erudiebat. Poſt rem verò diuinam, duplici eos paſcebat cibo; corporeo alio, quem à famulis afferri curabat; ſpirituali alio verbi diuini cibatu, quem ipſemet in viridi ceſpite, accumbentibus, Apoſtolico feruore diuidebat. Erat porrò locus illi in deliciis maximè, quòd ex eodem ſpectare poſſet Virginis Deiparæ imaginem turri Nolanæ Cathedralis Eccleſiæ à ſe impoſitam. Qua humiliter adoratâ, paupertinam turmam, vel dimittebat, vel inter redeundum ad proximam oppido ſyluam, iterum inter precationes; & pia colloquia reducebat, ad erectam illic à ſe Crucem.

Ad alterum quoque Caſtrum, alteram etiam Crucem ſolemni ritu erexerat, ſexto ferè lapide. Ad eam pariter ſubinde ſupplicatum adibat, vno dumtaxat comite. Is erat Procurio, homo Chriſtiana ſimplicitate inſignis, & Franciſco eapropter ſingulariter carus. Quodam ergo die, cùm ambo ſupplicabundi ad eum locum pergerent, cœpit pius Antiſtes Canonicas pro defunctis preces inchoare, ipſo ſtatim ab pomœrio. Verùm vt lentiori gradu progrediebantur, inter alternatas precum vices, ſolitum illud penſum, antè abſolutum eſt, quàm decurſa via. Iterum igitur à capite exorſus eſt pius Dei ſeruus; at Procurio innocenti interpellatione inſtitit ſciſcitari, num videretur ſatis eſſe, quod ſemel recitaſſent. Excepit modeſtè Franciſcus, illud quidem quærendum eſſe ab ſanctis animabus, quæ purgantibus flammis tum cruciarentur. Ecquid eſſet Procurio

§. 4. Pietas in animas defunctorum.

oblitus, paulò antè decantatum fuiſſe earum nomine ſingularum, duplicatione gemitus, miſeremini, miſeremini mei. Itaque preces eaſdem ambo iteratò decurrére; & ad Crucem demum ipſam abſoluére.

§. 5. *Seceſſus in Cœnobia.* Solitudinis ille ſanctus amor, quia moleſtos nonnunquam interpellatores pati cogebatur in ſolo Epiſcopali; ſecedebat nonnunquam ad Carthuſianorum, & Ciſtercienſium Cœnobia, vno admodum comitante ſeruo, interdum nullo. Quod quidem tam frequenter contingebat, vt etiamnum hodie, ſemita, quæ ab vno Caſtro ad Carthuſiam vicinam ducit, Franciſci ſemita dicatur, addito cognomine ſancti. Quòd illac intempeſta etiam nocte, ad communionem precum itaret.

Syncera pietas. Omnes Religioſos Ordines pietatis æmulatione complexus Franciſcus, non ſimplici, aut ocioſo affectu ferebatur; ſed intimè gratiam ſpiritus, qua quiſque per Deum eminet, ſectabatur; Solitudinem Ciſtercienſium, & Carthuſianorum; Franciſcinorum auſteritatem, ac, quantùm licebat, paupertatem: Dominicanorum diſcretionem ſpirituum, qua erudita ex Sodalitate, ſibi qui eſſet à ſacris confeſſionibus, elegerat. Cùm Leucophæam veſtem Ordinis Tertianorum, & cingulum induit; mentem Seraphici Patriarchæ induere conatus eſt. Mentem, inquam, illam quæ in ſui ipſius omnimoda expoliatione, Ieſum Chriſtum induit. Paulò poſt indutum ſacrum cingulum, concionatus eſt ipſa magni Franciſci anniuerſaria celebritatate. Argumenrum orationis fuere verba Pauli Apoſtoli, *Ego vinctus in Domino.* Dixit de Paulo, & Franciſco Chriſti captiuis;

tanto quidem feruore, vt non dubijs ſignis videretur, vtriuſque ſpiritum hauſiſſe peniſſimè: tertiúmque ſe captiuum Chriſto mancipaſſe.

Exinde amantium mores imitatus, ſignum charæ ſeruitutis, vbique affixit: cingulum inquam, illud in ligno, illud in ære, illud in lapide, illud penicillo in tabellis, illud domi, foríſque curabat effingi. Illo nominis, ac cognominis ſui primores characteres innecti, illo parmam gentilitiam Stannicæ domus, ſepoſito omni Magnatum ornatu, circumdari. Atque ea fortaſſe de cauſa Guilhelmus Philander celeberrimus multiplici doctrina vir, Cardinali Armaniaco hero ſuo, qui Franciſco in Epiſcopatu ſucceſſit, emblema compoſuit, cuius extant complura Ruthenæ exempla; ex faſce (inquam) tritici maturi erecta, his additis verbis. *In flagella paratus.* Quaſi heri ſui prædicaret piam ſeruitutem, præ Franciſci noſtri ſeruitute. Parati, nimirum, non modo vincula, ſed & ſtigmata pro Chriſto ſuo pati. Franciſcus *vinctus in Domino*; Georgius, *in flagella paratus*, pro Domino. §. 6. *S. Franciſci Aſſiſinatis imitatio.*

Ex occaſione diximus de pietate Franciſci noſtri erga Patriarcham Seraphicum, antè, quàm de cultu ſingulari diceremus in Virginem matrem. Cuius tamen cultus illuſtria aliqua nos teſtimonia ſuperiùs varijs obiter locis attigimus. Ex ijs notabit pius Lector voluiſſe Franciſcum per priuatæ ſuæ in eam religionis exempla, publicam ſtabilire pietatem; & præcipuum in eam in Diœceſi ſua cultum perennare de ſuo. Vt eam à primo vitæ eius exordio ſuis ſingulariter honoribus §. 8. *Cultus B. Virginis.*

proſequeretur, ad vſque exceſſum de vita mortali, ad immortalem. Officium de Conceptione, quod eſt primum auctoritate Apoſtolica inſtitutum, primus in Galliam intulit, primus in Diœceſi ſua Canonicum eſſe juſſit. Vt iam à nobis eſt narratum. Certos item reditus de ære ſuo perpetuos ſtabiliuit, quorum gratia in Eccleſia Cathedrali ſolemniori pompa celebraretur anniuerſarius dies, quo Maria ab Angelo ſalutata Dei mater effecta eſt. Inſtituit idem ſtatuto perpetuo, quod quondum certo vſu ſtabilitum erat apud Ruthenos, vt ſignum ſalutandi Virginem diebus ſingulis ſub veſperam daretur. Obtinuítque à ſancta Sede Indulgentias quas illi lucrarentur, qui veſpertinæ illius horæ, & legationis Angelicæ religioſè memoriam recolentes, oratione ter Angelica Virginem matrem ſalutarent. Atque vt perpetuum quaſi triumphum, aſcendenti in cœlos Virgini ſtabiliret, Miſſam de Aſſumptione quotidianam fundauit. Statuam verò eiuſdem inauratam in faſtigio magnificæ illius Nolanæ turris, triumphantis in morem collocauit. Animaduerti ego, ex iis monumentis quæ plurima pellégi, & ſcriptis Franciſci noſtri, ſtylum dicendi eius popularem fuiſſe, nihil in illo affectatum, nihil faſtuoſum. Eumdem tamen (ſi de laudibus Mariæ ſermo eſſet) elatum nempe & magnificum, penè ad Græcorum Patrum æmulationem, vberémque facundiam.

§. 8. *Gentilitiam parmā* Franciſcum paulò antè in Chriſti Ieſu vinculis ſpectauimus; gentilitia item eius inſignia eádem ſeruitutis nota circumligata. Supparem erga ſanctiſſimam matrem ſerui-

cutis affectum teſtari voluit, & vt ſeipſum illi, ita & ſuæ domus parmam ſubiecit. Epiſcopus Ruthenenſis Franciſcus, & Abbas ſimul Sinhanquæ, qui eſt in Venæſſino tractu locus. Quia vtriuſque Eccleſiæ Patrona Virgo eſt, pro ſigillo publicorum actorum, vſus eſt imagine Virginis eiuſdem; cuius pedibus ſubiecta apparent Stannicæ domus inſignia. Sigillum erat illud publicum: priuatarum autem literarum ſigillo inſculpta erat agni Crucem ferentis effigies. Quibus item priuatis literis adſcribere conſtanter aſſueuerat, ad caput, ſacra Ieſu & Mariæ nomina manu quidem propria; ad calcem, has voces; Ieſus benedictus, aut, benedictus Mariæ filius, ſaluum te, atque incolumem præſtet. *B. V. Statuæ ſubijcit.* *Franciſci ſigillum.*

Ne nimius ſim, plura hîc confertim poſtremo loco tantùm delibabo. Singularem Franciſci pietatem notat Syndicus iam toties laudatus. *Miro* (inquit) *& laudabili modo compoſitus erat, in odorem boni exempli, cum ſedula deuotione.* Inceſſu, geſtu, vultu, ore, pietatem ſpirabat. Et quod de Honorato Hilarius dixit, de Franciſco vſurpandum. *Nunquàm in ore eius niſi pax, niſi caſtitas, niſi pietas, niſi caritas; nunquam in corde niſi horum omnium fons Chriſtus habitauit.* §. 9. *Habitus ad pietatē compoſitus.*

Quanta eius eſſet in Angelos tutelares religio, quàm fraternus affectus, probat feſti inſtitutio de qua antè. Probat, & ſummus Pontifex Clemens Septimus, qui in eo dipplomate quod ad Franciſcum de eo feſto & officio tranſmiſit, *Nos tuam* (inquit) *deuotionem imitati, officium hujuſmodi, vniuerſali Eccleſiæ proponeremus, ſi breuius eſſet.* In breuiorem formam reduxit Franciſcus, *Cultus Angelorum.*

ſed repentino obitu præuentus, publicationem in vniuerſam Eccleſiam vrgere Franciſcus non potuit.

Diuiſa eſt in quatuor Archidiaconatus Ruthenenſis Diœceſis. Hanc in quatuor Litanias Franciſci pietas diuiſerat. In ijs nomina recenſentur patronorum ſingularum Eccleſiarum. Quos vnà cum Cuſtode Angelo inuocabat quotidie pius Antiſtes; pro varietate inſtitutæ viſitationis Quarto quoque anno ſolitus Diœceſim totam percurrere. Singulis ſingulos ferè Archidiaconatus.

§. 10. *Mortis memoriæ.* Quod poſtremum ſubijcio, omnium mihi ſingularis pietatis luculentiſſimum videtur eſſe teſtimonium. Pluribus ante obitum annis, duos de domeſtico famulatu adornauerat, qui ſibi in mentem pietatis officia ſubinde reuocarent. Alterius munus erat, identidem, ac matutinis præſertim, veſpertiníſque horis, Dominum ita clam in aurem ſalutare, *moriendum tibi eſt Domine.* Cui Franciſcus ſubmiſſo vultu conſertíſque ad pectus manibus reſpondebat, *de apparatu ſeriò cogitandum fili mi.* Alterius partes eſſe voluerat, vt ſibi quieſcenti in cubili adeſſet ſanctiorum præſertim dierum peruigilijs; & vltra vnam horam ſomnum producentem excitaret, his verbis. *Ieſus Chriſtus pro te mortuus eſt Domine.* Quod monitum Franciſcus excipiebat hac voce, *laudetur Ieſu immenſa pietas.* Tum præmiſſis aliquot oratiunculis, in alteram horam quieti ſe componebat: donec iterum & ſæpius ſedulus monitor expergefaceret: ac tandem in horam, ac tempus matutinæ meditationis incurreretur. Quod pridie majorum feſtiuitatum ad ſecundam de media

nocte

noćte horam præſtituerat ſibi Dei ſeruus. In alios dies feſtos ac profeſtos, in tertiam.

CAPVT QVINTVM.

Franciſci Caſtitas, Auſteritas, Mortificatio.

QVANTA fuerit Franciſci, quàm excellens caſtitas, probant viginti quinque illi teſtes de quibus toties diximus, quorum, poſt ſolemne iuramentum, vna vox fuit, virginitatis illum intactæ gloria floruiſſe iam grandæuum, & annos agentem triginta ſeptem, tum cùm eſt ad Epiſcopatum aſſumptus. Sic cenſuere iurati illi teſtes, inter quos domeſtici erant famuli, & aſseclæ eius ab ineunte ætate, ſecretorum omnium conſcij, inter ſtudiorum decurſum, inter longinquas peregrinationes; in Principum aulis, in Italica commoratione. Vt inde conficeremus, eius caſtitatem inter aduerſantia probatam fuiſse; Angelicam, inquam, virtutem ſponſis Eccleſiæ digniſſimam. Sic porrò illi teſtes. *Illibatam* (inquiunt) *pudicitiam conſeruauit; non ſolùm mulierum conſortia abhorrendo, ſed etiam ſui ipſius aſpectum mulieribus ſubtrahendo.* Inſigne ſanè teſtimonium abſolutæ numeris omnibus pudicitiæ, quæ ſuos non modò oculos regeret; ſed regere etiam alienos ſtuderet. §. 1. *Franciſci virginitas.*

Quo in genere illuſtre admodum eſt puel-

Ab prima ætate. Iuli adhuc Franciſci exemplum. Cùm enim eius mater Comitiſsa, inuiſendi filios, Antonium, & Franciſcum noſtrum gratia, adiſſet ad Caſtrum in quo apud Patruum educabantur. Eò ſcilicet confluxit honoris cauſa, vicina Nobilitas muliebris maximè. Aduentantes ergo nobiles matronas, & puellas, juſſit Comitiſsa Franciſcum Gallico more excipere, hoc eſt oſculo. Erat tùm Franciſcus circiter duodennis; at modeſtus & caſtus puerulus, rubore ſuffuſus illico, negauit facturum, quòd eſset, (aiebat) vitæ Eccleſiaſticæ conſecratus: ac cœtu relicto, ex aula profúgit. Sub diſceſſum matrona nobilis, & proximæ conſanguinitatis, conata eſt eximprouisò Franciſcum oſculari: at præuertit puerili ſedula modeſtia. Ille enim, vultum vtraque manu derepentè velauit: & conantem, pio dolo fruſtratus eſt: non ſine circumſtantium ſtupore. Eo ex tempore, deſitum eſt importunæ vrbanitatis. Ipſa adeò eius parens, matrona pientiſſima (vt citati teſtes appellant) puero cùm valediceret, complexus eius, ambabus manibus caput, frontem ſummam, aut capillorum antias, vix labris primoribus delibabat, religioſa quadam cum veneratione.

§. 3. *Quibus præſidijs ſepta.* Facilis quidem caſtitas eſt, gratiæ præſentis robuſta ſuauitate fruentibus: at ſanctorum eſt character, de ſeipſo diffidere: tantámque in ea tuenda cautionem, & curam adhibere, quanta opus eſt, cùm carnis rebellio, aut ingruit, aut timetur. Integritatis ſuæ deamator Seruus Dei, quamquam nihil admodum hoſtile ſtreperet, ſed animi motibus obſequeretur corpus. Tamen, à paruo ſtatim

puero, prout adoleſcebat, majori etiam ſtudio animum corroborabat, augebátque in dies ſui cuſtodiam. Eò conferebant plurimùm pietatis exercitia ferè continua: ocij & praui omnis conſortij fuga: publica honeſtatis profeſſio: modeſtorum conſuetudo: litterarum imprimis ardens amor. Ad hæc, pius in ſe rigor: & vitæ aſperitas Quibus armis communitus, corporis integritatem toto vitæ decurſu ſeruaſſe creditur. *Perpes.*

§. 4. *Sobrietas, & auſteritas.*

Porrò, quicumque de Franciſci caſtitate certiora tradidere, domeſtici & arcani teſtes, ſobrietatem inſignem, illi ſociam indiuiduam fuiſſe contendunt. Et meritò quidem. Vigilijs, jeiunijs, labore, animi, corporíſque contentione aſſidua, carnem macerabat Franciſcus. Præter communia Chriſtianorum jeiunia, quæ ſeueriſſimè obſeruabat & Epiſcopus & Senior, & quantumuis itinerum grauitate fatigatus; addere de ſuo plura ſolitus erat, pari cum illis obſeruantia. Si quibus diebus non jeiunaret, iis nihil admodum aut jentaculi, aut merendæ ſumebat. Quamuis enim ſemper, tertia de media nocte hora è cubili ſurgeret, perſtabat tamen jeiunus vltra meridiem plerumque. Quod citati iam teſtes obſeruant. Obſeruant iidem quarta feria eum ſemper ab eſu carnis abſtinuiſſe: Sabbatho conſtanter jeiunaſſe, ſexta item feria frequentiſſimè. Per Aduentus verò Dominici tempus, ita jeiunium coluiſſe, vt à lacticiniis etiam abſtineret. Quem vitæ rigorem inter grauiſſimos quoſque viſitationis labores, inuicto animi robore ad mortem vſque retinuit.

§. 5.

Vigilare cum in multam noctem ſolitum

Pia & aſſidua vigilia. eſse, aut fundendis ad Deum precibus, aut inuiſendis ægrotis, ac iuuandis moribundis, certiſſima monumenta conſignant. Ex quibus etiam conſtat, non molli plerumque in cubili, ſed in ſcamnis tapete ſolo & puluillo inſtratis decubuiſse; etiam, quod eſt ſanè permirum poſtremis vitæ annis iam ſeptuagenarium. Ac ne ſomno liberaliùs vel in perduro illo grabbato præ fatigatione, indulgeret, adminiſtrum adhibuiſse, qui ſingulis ſe horis interpellaret.

§. 6. *Victoria ſui.* Hac cibi, ſomníque parcitate, hac inuicta laborũ tolerantia, ſingulari hac ſenſuum cuſtodia, & modeſtia; arbitrium ſui ipſius, & abſolutum imperium obtinuit Franciſcus, in proprium ſui amorem, qui nempe inſitus eſt in corpus peccati, quod ait ſanctus Paulus: & in terram illam, quæ ſubdita maledicto, tribulos, & ſpinas ab exordio mundi, generat, niſi per Dei gratiam ſollicitè ſubigatur.

CAPVT SEXTVM.

Franciſci Manſuetudo, & Humilitas.

§ 1. *Conſortiũ mortificationis, & manſuetudinis.* ANNOTATVM à nobis ſuprà eſt, pro priuato ſigillo vſum eſse Franciſcum effigie Agni Paſchalis Crucem ferentis. Agnus eſt, ſed idem affixus Cruci. Dignum Franciſco emblema; cuius inſignis manſuetudo, & animi moderatio, cum ſuppari coniuncta erat ſui domandi ſtudio, & viuendi aſperitate. Agno Cruci affixo thro-

num ille crexerat, in animæ ſuæ penetralibus, in ipſo cordis ſui meditullio. Ad thronum verò Agni aram in qua ſeipſum cum prauis omnibus naturæ corruptæ moribus immolaret iugi ſacrificio *Vt abſconditus homo cordis* (quod ait ſanctus Petrus) *incorruptibilitate quieti, & modeſti ſpiritus, in conſpectu Dei locuples*, prodiret nimirum in hominum oculos non diſſimili vultu. *Ipſe Dominus Electus* (inquiunt viginti quinque teſtes) *habet mirabilem manſuetudinem, dulcedinem, & humilitatem; vt inuenire meruerit gratiam coram Deo, & hominibus.*

§. 2. *Animi tranquillitas, vnde Frãciſco ſingularis.*

Sui deſpector, atque oſor ſui Franciſcus; Dei verò rationibus vnicè proſpiciens, nulla re vnquam in diuinæ prouidentiæ decurſu percellebatur tumultuoſiùs. Nihil occurrebat quod animi tranquillitati officeret. Nulla vnquam res tam aſpera, nullum tam intricatæ moleſtiæ negotium; nullus tam inopinatus, ſeu ab importuno ſuorum ingenio, ſeu externorum; ſiue à perfidis amicis, ſiue ab ingratis; ſiue ab aduerſariorum inhumanitate, iniuriis ac contumeliis etiam atrociſſimis, caſus eſſe poterat, qui vel leuiter tantùm de ſolita eius manſuetudine detraheret. Quin imò, ſi quid amaritudinis, ſi quid fellis, fortè cuiquam conceptum alicunde eſſet in immerentem; id prorsùs omne à ſuperfuſa Franciſci ſuauitate, ſi modò in præſentiam eius veniretur, extemplò dulceſcebat. *Semper pacificus, mitis, & ſuauis* (ità qui ſupra) *in aduerſitatibus, & contumelijs multum patiens, & tolerans; ſua mirabili patientia, & manſuetudine inimicos proprios reconciliauit, atque pacauit.*

§. 3. Manſuetudinis item non vulgaris erat, quòd ſumma facilitate, poſcentibus, nihil non indulgeret; quod ſi ſecus aliquando fieri ratio exigeret; repulſam condiebat mirum in modum; oculi, vultus, geſtus, vocis tonus, delectus verborum & rationum: dicendi forma, tam præſentem admouebant faſcinum, tantùm olei, balſamíque infundebant, vt quæ vulnera negando fierent, perſanaret negantis præſentia, & modus negandi. Si quis verbo caſtigandus, ſi quis mulctandus, par vbique manſuetudo, par etiam effectus manſuetudinis. Elogium ſepulcrale eſt, dignum vita & luce ſeculorum. *Neminem verbo, aut opere vnquam læſit, aut triſtem vnquam à ſe diſcedere permiſit.*

Morum & gubernationis mira ſuauitas, & efficacitas.

§. 4. Narrant iurati hodie teſtes, qui ab iis majoribus originem ducunt, qui eius olim fuere domeſtici; ab iiſdem audiſſe ſe Maioribus frequenter, inſigne manſuetudinis exemplum. Procaces aliquot eius famuli conuenere inter ſe, vt explorarent non dubio experimento, quanta tandem eſſet heri ſui moderatio, qui nullum vnquam iracundiæ ſignum dediſſe diceretur, & à conſeruis domi, & ab externis publicè. Verſabatur tum temporis Franciſcus in vno de Caſtris Epiſcopalibus; & erant æſtus anni totius feruentiſſimi; & diei tempus meridianum, cùm rediret ab æde vrbana pius herus, re diuina facta. Illi ergo inepti exploratores, luculentum admodum ignem accendunt in penitiori conclaui non admodum laxo, quò ſeſe recipere Franciſcus ſolebat. Eò ingreſſus, ſpectante familia, & rei exitum præſtolante; neque vultu ille, neque geſtu præſentem importuni miniſterij

Animi moderatio.

auerſatus eſt moleſtiam; ſed ad caminum adiens: *Nullo non tempore* (inquit) *bonus eſt ignis, non videretur tamen hac tempeſtate neceſſarius.*

§. 5. Quanquam ſua eum virtus peramabilem omnibus effecerat, aduerſariis tamen non caruit; ſed eos nempe eſt paſſus, in quos incurrit virtus ipſa. Certabat Franciſcus cum aduerſariis, ſingularibus beneuolentiæ ſignis, tum cùm aduerſarij non dubia odij ſigna promerent. Eodem illo tempore quo immenſis ſumptibus Cathedralem Eccleſiam ornabat, ſtupendis ædificiorum molibus, quo mirabile illud Nolanæ turris opus vrgebat: quo noua ſacra, ſuo ære inſtituebat, & nouos Canonicis prouentus; eodem illi ſuis eum iuribus fraudare ſatagebant. Nec verò ſemel tantùm, ſed ſæpius contigit, vt eodem ipſo die, ac penè momento, quo liberali manu, profuſæ magnificentiæ tabellas obſignabat, eodem illi in manum à Capituli Syndico, vadimonij tabulæ traderentur, quibus in ius vocabatur, leuibus plerumque de cauſis, ac meris tricis. Admittebat tamen Franciſcus, nullo ne leuioris quidem motus edito ſigno.

In aduerſarios.

§. 6. Sic induxerat, æquo ſemper animo ferre, ſi quis ex iuris formulis ſe conueniret. Quam in rem multa ſunt, & præclara eius exempla. Vnum hic de pluribus aut alterum ſubiicio. Margareta Valeſia Franciſci Primi Galliæ Regis ſoror Comitiſſa Ruthenenſis, fauebat aduerſario Caroli de Stanno Franciſci nepotis, in lite grauiſſima, qua, de Altobracenſi Abbatia contendebatur. At quia Ruthenenſi Epiſcopo multa iura in eam Eccleſiam competunt, Nepoti aderat Franciſcus. Ad eum

Exemplum ſingulare.

igitur Margareta mitti ab Regia curauit nobilem Equitem, vnà cum Accenſo magni Concilij, qui Franciſco in ea lite auctoritatem abrogaret. Accenſus, Regis, ac Senatus, mandatum, tanta inurbanitate executus eſt, vt pium Dei ſeruum multa verborum contumelia, de ſuo affecerit, quæ egò non auſim huc ex ſchedis, quæ adhuc ſuperſunt transferre. Audiuit Dei ſeruus deblaterantem, immotus: & quibus ſe verbis, interdixerat, ea in commentarium ſolemniter referri, prorſus eadem voluit duplici exemplo, alterum deinde Accenſo in manum tradidit, ac Comitiſſæ, Senatui, & Regi ſe ſatisfacturum dixit. Accenſus tantam admiratus manſuetudinem ad ſerui Dei pedes ſeſe abiecit, dictorum veniam poſtulans. Abiectum complexus Antiſtes, & deoſculatus: ego verò, inquit fili, liberam tibi muneris tui exequendi copiam eſſe volo, Redux in Curiam Accenſus, & Eques Regius, Franciſci manſuetudinem miris præconiis extulere Margareta ſuſcepto patrocinio abſtinuit, & iuris diſceptationem liberam eſse voluit.

§. 7. *Erga admonitores etiam grauiores.* Quoniam hîc memorauimus de ſchedis, in quibus contumelioſè proſciſsus eſt Franciſcus: quarum tamen exemplum ſeruatum poſteritati voluiſse viſus eſt. Addendum: plura huiuſmodi ſcripta in tabulariis reperiri, in profundiſſimæ humilitatis teſtimoniū. Eiuſdem autem virtutis fuit, quòd notari ſe ab amicis perlubenter patiebatur. Extant complures Epiſtolæ ad eum tranſmiſsæ, ab Epiſcopo Enculiſmenſi, à Comite, fratribus, ab aliis; in quibus obiurgationes paſſim occurrunt

tunt & exprobrationes, atque eæ ſanè per-amarulento ſtylo conceptæ. Eas tamen, vt ex multitudine conijcio, Dei ſeruus ſeponebat ſollicitè. In quarum plurium auerſis paginis, hæc, eius propria manu ſcripta leguntur. *Litteræ perutiles, chartæ ſeruandæ, inſtructiones magni momenti*, & ſimilia. Sic nimirum amat ſubdi alienæ cenſuræ, vera humilitas, & manſuetudo.

Mandata ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, ſumma veneratione excipiebat; tantáque animi ſubmiſſione, vt vel ſubreptitia, veneranda diceret. Quòd licet illegitimâ viâ calliditas, ea juſſa extorſiſſet; veſtigium tamen eſſet aliquod in illis legitimæ auctoritatis, ſupremæ, ac vbique ſacræ & inuiolabilis. Nobiles aliquot Clericos à deceſſore ad tonſuram, & minores Ordines admiſſos, ad ſacros ipſe admittere noluit, quòd eſſent à moribus, & doctrina imparati. Sedem illi appellauere Apoſtolicam, & ſubreptitiis litteris, à Curia Romana extortis, remiſſi ad alios Antiſtites ordinandi; ab iis ſunt, inconſulto Franciſco, & inſcio initiati. Franciſcus rei indignitate perculſus, quòd illis etiam litteris juſſi eſſent, ante ordinationem, Ruthenenſis ſui Antiſtitis examen ſubire: expoſtulauit apud Pontificem, cum initiatis, & cum iis qui conſecrarant. Hos Pontifex mulctauit, illos iterum ad Franciſcum remiſit examinandos, plectendóſque. Commendauit tamen vt facti pœnitentes. Hîc manſuetus noſter expediuit amplexus, & oſcula pacis verè paterna. Tanto eos affectu excepit, tanta beneuolentiæ ſignificatione, vt, quanquam erant auerſa à ſtudiis mente, ad ea ſe lubentiſſimè appu-

§. 8. *Veneratio Sedis Apoſtolicæ.*

Injuriarum obliuio.

lerint, Franciſco penè ſtudiorum duce, ac rectore. Adeò vt intra triennium, quod iuſſi erant dare litteris, in operarios valdè idoneos euaſerint. Quorum etiam opera, toto deinde vitæ decurſu, feliciter vſus eſt in colenda Domini vinea.

§. 9. *Amor inimicorum.* Vlteriùs etiam progreſſa eius, verè Chriſtiana manſuetudo Nec modò iniuriarum obliuionem in animum Franciſci induxit; ſed ſingularem inimicorum amorem; qui eos non modò pœnitentes in veterem amicitiam reciperet; ſed qui, eis ſingulare aduerſus alios patrocinium in Franciſco pararet. Interceſſorem ille ſæpius egit apud amicos, pro inimicis. Competitorem in Epiſcopatu ſuum, Carolum Turnonium, aliquot viri Nobiles, ope, opera, armis iuuere, quo tempore lis eſt inter vtrumque diſceptata. Cauſa vbi cecidit, & fato functus eſt Turnonius, inermes illi ſcilicet potentiſſimæ Stanniorum familiæ obiecti ſunt. Veniebant ſanè extrema illis omnia timenda, niſi pius Antiſtes interceſſiſſet iuſtæ, vt videbatur, iracundiæ. Eos ille cum familia ſua vniuerſa, ità reconciliauit, vt quos vindices perhorreſcebant, patronos experti ſint, & tutores; ac ſe in primis.

§. 10. Beraldus Caſſagnius vnus ex iis Turnonij aſſeclis, inuaſerat in princeps Epiſcopi Ruthenenſis caſtrum; ex quo frequentibus excurſionibus Epiſcopales, ac Canonicales agros vexabat; ac præſertim quidquid erat Capitulari decimationi obnoxium, & Franciſci noſtri Electoribus. Poſt litem Franciſco adiudicatam, & Caroli Competitoris mortem; vocatus eſt in jus Beraldus, à Capituli

Beneficentia

& Cleri Syndico, ac peractus reus iniuſtæ vexationis, direptionis, ac cædium, quæ eius auſpicijs acciderant. Actum videbatur de fama, bonis, atque adeò de vita Beraldi, niſi ſuccurriſſet perituro Franciſcus. Ad eum adit Beraldus, Auenioni in præfectura, & legatione agentem. De periculo ſuo anxius monet. Nec pluribus opus. Inter amplexus, ſupplici opem pollicetur pater beneuolentiſſimus. Morari tantiſper eum iubet in ſua ipſius Curia, ac domo dum Ruthenam tranſmitteret qui cauſam pro Beraldo ageret, & apud Comitem fratrem, & apud Clerum, & & Canonicos Eccleſiæ Cathedralis. Ad fratrem & ad eos communiter, ad eorum priuatim aliquos, tam vrgentes literas dedit, tanto affectu conceptas, tanto ambitu, vt de viro conſtantiſſimæ amicitiæ, & de ſe meritiſſimo, agere videretur. Cauſam obtinuit tanta manſuetudo. Quidquid erat Capitale, dimiſſum: Quæ ciuilia iura ſupererant, quæ damna, compromiſſo ab æquis arbitris compoſita. Quin, & eumdem Beraldum, bonus Antiſtes in præfecturam ſuam Epiſcopalium Caſtrorum repoſuit.

erga inimicos, vel atrociſſimos.

§. II. *Humilitas in excolendis infimæ ſortis egenis.*

Quæ hoc capite narrauimus; exempla illa ſunt Manſuetæ Humilitatis, & Humilis Manſuetudinis. Neque verò quæ hîc paucis adiungimus diſſident: quanquam habent præcipuam Chriſtianæ humilitatis ſpeciem. Præter ea, quæ antè conſignata ſunt, occurrit in primis ardentiſſimus ille affectus, quo pauperculorum conſuetudinem vir tantus, familia, rebus geſtis, eruditione, ingenio, ambiebat. De cæteris taceo pauperum conditionibus. Curam Elephantia laborantium

præterire nefas eſt. Illos ità complexus eſt ſeruus Dei, vt in delicijs habuiſſe videatur. Eos inuiſebat frequentiſſimè, ſed præcipuè inter obeundas, ex more, parœcias ſi quæ in illis domus eſſet ægris huiuſmodi deſtinata, ad eam adire non omittebat; quaſi inter præcipua viſitationis munia. Annotat Commentarienſis conciones ſeu adhortationes admodum prolixas ad eos habere ſolitum. Quarum in vſum, ſelegerat ex ſacris litteris plures ſententias, eaſque vocitabat, prophetias de eorum ægrorum beatitudine, à Spiritu ſancto peculiariter prolatas. Quodam cùm anno viſitaret hoſpitium ſuburbij Ruthenenſis; dixit diu, multúmque, & bene multa apud quatuor, vel ſex duntaxat ægros. Quorum vnum deprehendit orationem Dominicam non ſatis callere. Hîc, pius pater, ædituum Presbyterum, ædíſque Curatorem præſentem affatus (lepidiſſimè) *Per Deum*, inquit, *Domine mi, vide ne quis horum hominum a parentibus, & amicis deſertorum, ignoret etiam Patrem qui in Cœlis eſt. Satage paratiores à re diuina inueniam ſequenti luſtro*; promiſitque effecturum vt ſtipendia ampliarentur, ſi erudiſſet. Rogauit deinde qua corporea re egerent, qui tam egentes eſſent ſpirituali. Vbi audiſſet, eos lineis veſtibus defici; de ſuis ipſe, eodem die ſuppeditauit.

§. 12. *Stupenda humilitas.* Stupendæ humilitatis, ac manſuetudinis exemplum ſubjungo, quod iam antè inſinuauimus quidem: hîc paulò diſtinctiùs enarraturi. Conquenſis Abbatia in Diœceſi eſt Ruthenenſi: Sedes Monaſticæ diſciplinæ anno ſalutis tercenteſimo & ſeptuageſimo

circiter inſtituta, à primis Francorum Regibus magnificentiſſimè dotata. Verùm quia paulatim, perque tot ſecula, defecerat in ea monaſticus rigor, ad magnam poſteriore ætate ignauiam; juriſdictioni Epiſcopali à ſummis Pontificibus reſtituta fuit. Franciſcus noſter, nouo etiam dipplomate juſſus diſciplinæ inuigilare, non defuit officio ſuo. Placuit tamen, antè, parœciæ viſitationem ſolito ritu inſtituere: Abbatiæ, in opportunum tempus differre. Ingreſſus in ædem ſacram, orationem inſtituit ad majus Chori altare, flexis genibus, & vt ſolebat in turba, clauſis oculis, vt ne qua ſpecies obturbaret. Vix tantillum precibus incubuerat, cùm ecce tibi Monachorum ingruit turba, & inconditis clamoribus, Dei ſeruum de Choro exire jubet, hypocritam iterum ac ſæpius inclamans. Admota vi de Choro extrahitur, dilacerantur multis partibus ſacræ veſtes, impactus quoque colaphus ei à ſceleratis. Nec parcitur comitibus Clericis, ac Sacerdotibus, qui Epiſcopo appariturí aderant. Franciſcus, in tantæ, tamque inopinatæ contumeliæ incurſu, nihil iracundiùs dixit: ſed Chriſti vſus verbis, *ſi me*, inquit, *quæritis, ſinite eos abire*. Abſcedo ego hinc, quoniam jubetis: parcite obſequentem vexare. Quò erat hominis vox modeſtior, eò duriùs habebatur. Sic demum lacer, ad aram parœciæ ſiſtitur. Et decedentibus Monachis, ipſe quoque ex æde ſacra diſceſſit, populúmque turmatim ſubeuntem, & opem offerentem, ab parata in Monachos vi compeſcuit.

Imitatio Chriſti.

§.13. Peruigilium erat Natalis Chriſti: poſtridie ergo, de ſummo mane, Ruthenam ſe

Antiſtes recepit, rei diuinæ ſolemniter faciendæ gratia. Conquenſes verò inſultores, quaſi de victoria ſibi gratulandum putarent, ſub veſperam ſacri illius diei: quod erat pridie geſtum in ſcenam produxere, editoque in theatro, ex tragico argumento, conſtituére Comœdiam Huius rei famâ ad fratrem Comitem delatâ poſtridie, grauiſſimis verbis cum Franciſco Comes expoſtulauit. Inertis mollitiei, & ineptæ manſuetudinis Dei ſeruum damnauit: at hic, mirari ſe dixit, quòd ſe tam ſeuerè objurgaret: quæſiuítque, an cenſeret, fabulâ & ſcenâ percelli ſe duriùs, quàm re ipſa. Ecquid ignoraret feſtum illum diem eſſe Protomartyris Stephani, & celebrari eodem amorem inimicorum. Tum ſublatis in Cœlum oculis, *ne ſtatuas*, inquit, *illis hoc peccatum.*

Dilectio inimicorum.

§. 14. Tam nefarium ſcelus impune eſſe non potuit. Ab inuito Franciſco ſua dignitas euicit, vt in jus vocari ſineret, ſui importunos & impios violatores. Nec verò diu litigandum fuit. Iam jam damnandi grauiſſimis pœnis cùm eſſent: anteuertit Senatus decreto pius Antiſtes: in delectos Arbitros compromiſit, de vi ſcilicet, non de juriſdictione. Quo de compromiſſo cùm eſſet litteris monitus Antonius frater Enculiſmenſis tunc Epiſcopus, objurgatorias ad eum litteras miſit, ac ſeueriſſimè caſtigauit, importuniſſimam, vt aiebat, & ingloriam benignitatem. Adiecit demum hæc diſertè verba. Ex *lethali peccato, veniale feciſti, more tuo ſolito, vt, quod aiunt etiam quicunque tecum litigant, qui te demereri maximè vult, de te peſſimè mereatur.* Sanè quantáuis à me

Injuriarum condonatio.

cura adhibita ſit, in excutiendis tabularijs, & Stannicæ domus, & Epiſcopalis, nihil vſquam occurrit, vnde conſtare poſſit etiam impoſitas ab arbitris pœnas exactas eſſe. Quin imò, in peruetuſto codicillo, legere me memini, poſt arbitrorum ſeueram, vt res exigebat, ſententiam, funditus condonaſſe Franciſcum. Non omiſit tamen juriſdictionem, Epiſcopo Ruthenenſi reſtitutam à ſummis Pontificibus, propugnare.

SECTIO TERTIA.

De fama Miraculorum.

QVæ nos hîc Miracula, ex vulgi nomenclatura vocamus: ea, fide tantùm hiſtorica proferimus, vt & cætera, quæ à nobis jam narrando propoſita ſunt memoriæ ſæculorum. Profitemur tamen nos ſingularem curam adhibuiſſe, ne quid vſquam niſi ex probatiſſimis auctoribus vulgaremus. Hac verò parte maximè in qua veluti in ſacrorum contrectatione peculiari veneratione opus eſt.

CAPVT PRIMVM.

De Miraculis quæ viuens patraſſe Franciſcus creditur.

§. I. Multiplicatio tritici in gratiam pauperum.

PRIMVM quod occurrit, peruulgatum eſt omnium apud Ruthenos, vicinaſque regiones ſermonibus. Extátque hodie ſcriptum de eo teſtimonium manu propria viri Nobilis, & ciuis Ruthenenſis; qui præſens, & oculatus teſtis fuit. Seculi præteriti anno viceſimo octauo, ætatis Franciſci noſtri penultimo, Diœceſim totam Ruthenenſem, & Galliæ maximam partem grauiſſima cibariorum inopia vexauit. Per Quadrageſimalis ieiunij dies, cùm Clerus Ruthenenſis ex more ſolemni, & à Majoribus per annuos reditus ſtabilito, largitiones ſtatas abſoluiſſet: de Paſchate, grauiùs laborare cœpit plebs vrbana, & quæ ex agris in vrbem confluxerat infinito penè numero. Reſerari ergo iuſſit quæ ſupererant ſibi inſtructa horrea pius Antiſtes. At his intra pauculas hebdomadas exhauſtis: inſtare apud pientiſſimum patrem Famelici filij. Imperat Franciſcus effundi quicquid ſupererat etiam ad demenſum domeſticum. Effuſum eſt. Inſtare denuo turmatim illi. Negare verò domeſtici, tritici quidquam in horreis ſupereſſe. Iubet tamen Franciſcus iterum atque iterum rem explorari. Vbi ſæpius renunciatum eſt de vacuis horreis. Sublatis in Cœlum oculis, & flexis

& flexis deinde genibus tantiſper incubuit orationi. Tum exurgens; adite, inquit, ſupereſt etiamnum aliquid: adite, inquam, ſcrutamini per Deum oro diligenter. Adiuere præſentes qui aderant & pro egenis cauſam agebant Conſules Ciuitatis: ductore eo qui ſeruo Dei erat ab Eleemoſynis, ad horrea vicina proximo foro, quod quamuis ſanè vaſtum, impleuerat perpetua ab Epiſcopio illuc vſque egentium multitudo. Inferioribus ergo reſeratis foribus, cum ipſæ horreorum valuæ tentantur, circumactis intra ſeras clauibus, ægrè apertæ ſunt; & plena horrea ad ipſum penè lacunar deprehenſa. Quod vt eſt ad plebem vulgatum magnus eſt acclamantium inſecutus plauſus. Inde verò liberaliter prouiſum egentibus; dum proxima meſſis publicam penuriam laxaret. Animaduerſum porrò eſt; triticum illud *diuinitus* (vt creditur) datum vbique augmenta de nouo accipere *ſolitum*: in moletrina, inquam, in piſtrino, in fornace, in menſa, inter manus ipſas accipientium. *S*ic amplificatum triticum. De fabacea autem meſſe item amplificata, ex voto pij Antiſtitis, ſupra diximus dum de pauperum amore.

§. 2. *Panis candidus in nigrum repentè conuerſus; & rurſus priſtino*

Alterum adiungo diuinæ manus in tritico teſtimonium. Luſtrabat Franciſcus (quo anno incertum) Diœceſeos tractum illum, qui eſt ad Francopolim. Non procul pagus eſt cui à ſancto Saluatore nomen. Illò indicta collatio Sacramenti Confirmationis, multam plebem, vt ſolet, adſciuit. Quia verò vicini aliquot viri Nobiles, jurium Eccleſiaſticorum vexatores; & grauiorum aliorum ſcelerum rei, iam ſæpius moniti, inten-

candori reſtitutus.

tata Eccleſiæ fulmina contemnere videbantur, grandi Chriſtianæ plebis ſcandalo. Eos quoque ad celebrem concionem vocauit Franciſcus, in qua de iure infligendi anathematis diſſereret; diſſereret tantùm: effectum differret, atque vſum. Adfuere ex illis non pauci. Quibus coram, & plebis multitudine, quantam capere ædes ſatis ampla poterat, cùm Franciſcus eruditè, & ardenter peroraſſet, ſiluit repentè, & incenſo nouis ignibus vultu, ſubiecit, ob oculos poſiturum ſe, quod orando dixiſſet; nimirum quàm eſſet Eccleſiaſtici anathematis vis pertimeſcenda. De ſuggeſtu ad altare progreſſus, illic citra menſam, in qua candens erat impoſitus panis, ſedet mox exurgens, panem eumdem bifariam diuidit. Partem alteram parato imponit diſco; alteram ſeponit in menſæ angulum: ac iubet orationi tantiſper incumbere concionem. Abſolutâ inter preces ferè horâ: exurgit repentè & inter nolarum imperatas increpationes ex more; verba ſolemnia, quibus anathematis imprecationes fiunt, contenta voce, protentáque manu in eam panis partem, quæ in diſco erat, mediáque tabula, pronunciat. Quæ illico nigritiem, qualis eſſe carbonum ſolet propalam contraxit. Altera alia, nihil de niueo ſuo candore amittente. Stuporis pleniſſimum ſpectaculum erat, & ſacri horroris. Quos inter religioſos metus, iterum iubet Franciſcus orationi ſpectantes inſiſtere. Inſiſtitur iterum per horam. Qua expleta, hilari vultu, exurgit, ac iterum nolis paulò lætiùs concuti iuſſis; *Audite* (inquit) *inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite.* Et mox,

elata dextra in dimidium panem diris deuotum, conſuetas voces profert quibus anathematis vinculum laxatur. Rediit extemplò priſtinus in panem candor. Ita ab ijs memoriæ traditum eſt qui præſentes aderant.

Suppar aliud eadem fide traditur, & quod etiam maius eſt, in oculos etiam hodie incurrit. Apud Montanos Ruthenos oppidum eſt, cui nomen Charruſeſquium Epiſcopalis ditionis locus Huius ager tritico peropportunus, infinita filicis copiâ vniuerſus inſidebatur olim. Et quantacúmque coleretur cura, non niſi leuiſſimus erat ex eo prouentus. Quòd enatæ paſſim hæ noxiæ herbæ, triticeam ſegetem ſuffocarent, atque obruerent. Nec verò ignota eſt filicis malignitas; ex qua eſt etiam apud veteres deducta parœmia, cùm quid nulla cura emendatur; *Nullo filicem aratro manſueſcere.* Fruſtra igitur erant Agricolæ in arando; fruſtra in extirpando filicto, quod eſſe perpetuum in eo tractu videbatur. Huius pagi agrum cùm fortè luſtraret benignus Antiſtes, audijt incolarum ſeu querelas ſeu gemitus, & comploratione. Præſens ipſe in conſpectum noxiæ vbertatis cùm veniſſet, & grauiùs ruſtica plebs infremeret: ſuſtulit in Cœlum oculos benigniſſimus pater, & de Cœlo filicto imprecatus, ſolo felicitatem à Deo precatus eſt. Obſecundauit ſeruo ſuo Deus. Quidquid ſubierat eo anno filicum, exſiccatum, extinctúmque eſt. Neque ex eo tempore ad hanc noſtram ætatem: hoc eſt per annos centum ac quadraginta, filix vlla eo quàm latè patet agro viſa eſt. Licet circumiacentibus in campis & vijs, id herbarum genus frequentiſſimũ occurrat.

§. 3. *Herba noxia in perpetuum extirpata.*

§. 4. *Nolæ concrepant nemine quatiẽte, cùm Franciſcus adit Eccleſiam.*

Muretum oppidum eſt & Caſtrum, quarto ab Ruthena aut quinto ferè milliari, Dominij Epiſcopalis : ad quod frequenter adire Franciſcus ſolebat , ſanctæ ſolitudinis , vt diximus captandæ gratia. Cùm fines illius intraret, plerunque Nola Eccleſiæ maior , nullo humanæ manus miniſterio quatiebatur. Quod erat plebi tam notum , vt eo ſigno quaſi accita , obuiam iret. Accidit autem quadam vice dum audiretur , vt grauior ingrueret ventus Franciſco in faciem infeſtus, adeò quidem vt nonnihil commotior exclamaret , ô importunos auræ flatus ! deſiſſe illico ſonus audiri dicitur. Quod animaduertens Franciſcus, reus , inquit, ego ſum impatientiæ. Atque de equo ſeſe duxit , præſenti fortè procurioni de peccatis confeſſus eſt. Iterúmque conſcenſo equo , iterum audiri Nolæ ſonus cœpit.

§. 5. *Fons perennis ex rupe èxcitatus.*

In eodem Muretano agro frequentes ſunt rupes vicinæ Caſtro : quod quia aquarum penuria laborat edito in loco : prouiſum ei eſt mirabili prorsùs modo. Franciſcus ſpecie excauandi ſpecus , intra quem ædiculam, aut altare excideret, ſaxum tuditibus , ac ſcalpris certo & deſtinato quodam loco tentari iuſſit. Exciſis verò , exemptíſque aliquot lapidum molibus, quaſi obicibus : erupit eximprouisò fons illatenus ignotus : tam perenni vbertate , vt in Caſtri vſum largiter aquas ſuffecerit. Eumdem tamen ſub vno ex ſucceſſoribus Franciſci penè exſiccatum fuiſſe tradunt, ob neſcio quas (vt placuit populo interpretari) iniurias poſſeſſoribus agri proximi, per quem in Caſtrum aquæ deriuantur , illatas. Quibus cùm eſſet factum ſatis , priorem

curſum denuo fons recepit: qualis hodiéque eſt. Alia non pauca narrantur ab viuente Franciſco patrata miracula: ſed ijs recenſendis ſuperſedemus causâ breuitatis.

CAPVT SECVNDVM.

De Miraculis, quæ poſt ejus obitum, ejuſdem interceßione patrata dicuntur.

RVTHENENSIS Diœceſeos populus vniuerſus, in Franciſco dum vixit, benigniſſimum patrem expertus: vbi de medio ſublatus eſt ille: non mœrore aliquo, ſed ſuaui quodam ſenſu pietatis perfuſus, eumdem in Cœlo rerum ſuarum ſibi fore ſtudioſum curatorem exiſtimauit. Ità inſcriptum ſepulcro eius. Cœlum, quantùm piè creditur petijt, ſuam plebem, & ſuos feruentiùs, & propiùs Domino IESV, ſuæ pientiſſimæ Matri, Sanctis omnibus commendaturus. § I. *Populi fiducia in ejus meritis, & interceſſione.*

Ex teſtamentarijs tabulis præſcriptam ab eodem pecuniæ ſummam, ad ſtata quædam ſacra, contulere hæredes Eccleſiæ, & Cœnobio Sinhanquæ Ciſtercienſis Ordinis, qui eſt locus in Comitatu Auenionenſi. In authentico fundationis ſcripto, diſertè traditur, admittenda illa quidem ſacra, quamuis eidem non viderentur neceſſaria, *Cujus* (inquiunt Cœnobitæ) *memoria piè, & ſanctè à multis Christi fidelibus recolitur: ac pie* §. 2. *Ejus memoria piè colitur.*

creditur illius ſanctiſſimam animam humanis ſuffragijs non egere: ſed ejus potius pijſſimo interuentu faciliter ab Altiſſimo impetrari poſſe quod poſtulatur.

§. 3. *Frequẽtia Miraculorum.* Pauculis item poſt eius deceſſum annis, auctor Annalium Conuentus Minoritarum Ruthenenſium, iam antè à nobis laudatus, perhibet, dum ſcriberet ipſe, *Fulſiſſe Franciſcum miraculis*, quæ frequentia fierent ad eius in Eccleſia Cathedrali, ſepulcrum.

§. 4. *Illuſtre teſtimonium.* Quartum addo teſtimonium ex Libris Capitularibus, ſeu Diarijs, fide non minùs dignum. Obſeruat Commentarienſis in cœtu Capitulari decimo octauo Martij anno milleſimo quingenteſimo triceſimo ſecundo, coram Canonicis quindecim, quorum etiam recenſet nomina, propoſitum fuiſſe quoddam miraculum illuſtre & *patens*, vt loquitur pridie illius diei patratum. Alterum ipſo die decretúmque tradit vt res ad Epiſcopum tunc ſedentem deferretur. *Ne tantum, tamque mirabile* (inquit) *prodigium, cum alijs multis quæ præceſſerunt, ſilentio præteriretur.*

§ 5. *Surda, & muta à Natiuitate puella ſanatur.* Quod priore loco in eo cœtu narratum eſt, ità ſe habuit. Surda & muta puella à natiuitate, ab vtroque parente, tenuioris quidem fortunæ, ſed ſingularis pietatis, ad ſerui Dei ſepulcrum per dies nouem ex voto deducta eſt. Nono, cùm ardentiùs, & ipſa, & parentes inſtarent ſupplicarent de genieulis, coram magna populi multitudine; præ animi contentione diffluere ſudore puella cœpit; tanto quidem, quamuis adhuc, vt in montanis, hyemaret annus, vt vnus de circumſtantibus aliquis exclamauerit, *quantopere ſudat puella illa!* At hæc quæ nihil dum

audierat; profata nihil erat vnquam; hîc repentè à Deo perſanata, vultum, ad ignotum hactenus ſonum, auertit: cúmque iteratò voces eaſdem (quantopere ſudat puella illa) percepiſſet: eaſdem quoque ipſa diſertiſſimè repetijt. Quid diceret ignara prorsùs. Conclamatum ſcilicet à multitudine. Et habitæ extemporaneæ Deo, & ſeruo Dei gratiæ. Cuius quidem miræ ſanationis non vnus aliquis teſtis, ſed vniuerſa Ruthenenſis vrbs fuit; quam oſtiatim puella, & antè obierat; & recepta valetudine cum plauſu iterum obijt. Mirantibus ſingulis linguam puellæ, quam antè nucis inſtar implexam & orbiculatam viderant, poſt votum complanatam eamdem, & expeditam eſſe, more cæterorum hominum.

§. 6. *Inter labendum è tecto, quidã in aëre ſuſpenſus retinetur.*

Alterum quod ibidem narratur, non minùs habet admirabilitatis. Ruthenæ nullus ferè vſus eſt imbricum lateritiorum; ſed paſſim propter frequentiam niuium, in domibus tegendis, vtuntur ſecto lapide, tenuiori; atque ideo elatior vbique eſt, rectior ac proinde perlubrica architectura. Concinnator quidam tegularius, inter reficienda tegulata cuiuſdam domus in ea vrbis parte quæ Burgus appellatur, fallente eximprouisò veſtigio lapſabundus ad extremas tegulas deuoluitur: inter verò labendum, exclamauit, atque opem Antiſtitis optimi (vt in periculis tunc vulgò ſolebant) ſupplex implorauit. Senſit extemplò, quod deinde narrabat, diuinæ cuiuſdam manus fulcimentum. Quo hæſit, *ac ſtetit* (inquit Commentarienſis) *quaſi in aëre, digitis tantùm apprehendens vltimas tegulas, toto verò corpore in*

aëre diuinitus ſuſtentato. Eo certè in ſtatu, vbi humanis viribus hærere, nec momento vno potuiſſet. Tanto tamen illic perſtitit ſpacio temporis, quanto fuit opus, vt à ſtupente vicinia ſcalæ afferrentur, quibus vſus; è veſtigio cum circumſtante ſe turba ad Cathedralem Eccleſiam, & ſerui Dei ſepulcrum perrexit, grates patrono habiturus.

§. 7. *Prolapſa ilia reſtituuntur hernioſo.* Murarius Faber ex oppido Aruiuio, leucis aliquot ab Ruthena diſſito laborabat tam graui, ac tanta ilium prolapſione; vt ea humanum caput magnitudine æquaret, horrendo ſanè ſpectaculo. Valetudinis ille obtinendæ cauſa, vouit Deo in honorem Franciſci publicam mendicationem per dies nouem, ſepulcri luſtrationem per totidem. Ruthenam cùm obiret, ab eodem illo viro Nobili, de quo priùs dicebamus, obiurgatus, quòd nulla cauſa ſubeſſe videretur homini ſatis à re domeſtica parato, ita oſtiatim ſtipem rogandi. Excepit Faber id ſe voto nuncupato facere, ac morbi magnitudinem reuelauit. Poſt nouemdialem circulationem, ex tempore ſanatus eſt, nullo morbi præcedentis relicto veſtigio; vt memoriæ conſignauit, morbi, & valetudinis idem oculatiſſimus teſtis.

§. 8. *Puer juſſus refigere anathemata, terretur repentino vi-* Candelabra illa, ſeu columnas ex aurichalcho ſex, quas Franciſci ſumptibus ad altare maius Chori appoſitas fuiſſe, diximus parte ſuperiore; varia ſtatim ab deceſſu pij Antiſtitis donaria & anathemata decorare cœperunt. Iuſſa hæc omnia à neſcio quo refigi, & ad ædiculam vbi antiquæ Sanctorum Reliquiæ ſeruantur, aſportari. Scalis admotis ſubit in faſtigium columnæ vnius

puerulus

puerulus; at ecce, vix vnum alterúmue refixerat, cùm eum grauiſſimus, & acutiſſimus viſcerum dolor excepit. Tantus quidem, vt extemplò remenſus ſcalas, nullo vllius juſſu, nullis minis ſuſtinuerit, iterum conſcendere ſimilis miniſterij causâ; ingratam Deo cauſatus operam, ſibi periculoſam Idem ille qui ſuprà tradit vir Nobilis, & fide digniſſimus. *ſcerum cruciatu.*

§. 9. *Idem experitur Cardinalis Armaniacus.*

Non diſſimile quid, & verò luculentius propter perſonæ dignitatem, Georgio Armaniaco Franciſci noſtri ſucceſſori, ac Cardinali deinde contigit. Ille enim religione aliqua (vt quidem opinor ego) ductus, permiſerat donaria aliò transferri, Non tulit hoc impunè. Vix ſe in viam Pariſios verſus dederat ad quintum milliare; cùm agitari torminibus cœpit grauiſſimè. Ægrè tandem in proximum oppidum, cui Eſpalio nomen eſt, deportatus, illic etiam grauiùs, grauiúſque vrgeri. Donec admonüit preſbyter ab Eleemoſynis; qui ſe precibus pij deceſſoris ſui commendarent, eo morbo detenti, conualeſcere ſolere frequentiſſimè. Ac fortè id morbi præſentis, in pœnam nuperæ juſſionis, ſeu permiſſionis de refigendis donarijs, infligi. Obſtitit principiò tantiſper, monenti Georgius. At vi doloris tandem adactus, eumdem preſbyterum Ruthenam remiſit, qui refixa reſtitui curaret; nouum ſuo nomine appenderet, & preces ad Franciſci tumulum funderet. Vix ille ſe viæ remeando commiſerat; cùm penitùs Cardinalis conualüit. Stupente comitatu, & gratias agente. Sic à Maiori-bus, poſteris tranſmiſſum. Atque vtinam quæ quotidie, vt fama eſt, fiebant non diſ-

ſimilia narratis miracula, Franciſci ſucceſſores Antiſtites memoriæ conſequentium ætatum commendari curaſſent.

§. 10. *Edmūdus Augerius S I. ab ægritudine lethali ſanatus.*

Addam poſtremo loco teſtem ſanè idoneum, Edmundum Augerium ex Gallica Campania oriundum, qui à ſancto Ignatio in Societatem Ieſu admiſſus eſt; & primus ex eádem, in Regiam Chriſtianiſſimam adſcitus, Regibus Carolo Nono, & Henrico Tertio à concionibus ſacris & confeſſionibus fuit. Is cùm Prouinciam Aquitaniæ, Viſitator regeret, circa annum ſeptuageſimum ſeculi ſuperioris, in grauiſſimam ægritudinem incidit, graſſante per omnes artus occulta lue, quæ pellem à corpore cum magno nimirum dolore diuelleret; & ſubiecto relinqueret in ſtrato adhærentem, infinito cruciatu. Fugiebat morbi vis, & natura medicorum peritiſſimorum ſcientiam; & omnem opem ſuperabat. Itaque quod in extremis morbis fieri ſolet, ad diuinam recurrit Edmundus. Adfuerat ille Ruthenæ tum cùm illic iacta ſunt fundamenta Collegij: & ibidem aliquot annis commoratus, obſeruauerat populi vniuerſi pietatem ſingularem erga Franciſcum, frequentem concurſum ad eiuſdem tumulum, & vota in eius honorem appenſa plurima. Igitur quamquam æger tunc diſſito longè in loco, Burdegalæ verſaretur: Sanctè promittit per dies ſingulos ſubſequentis Dominici Aduentus, & Quadrageſimæ, in æde Cathedrali Ruthenenſi, vbi eiuſdem ſepulcrum eſt, conciones habiturum, ſi conualeſceret. Audiuit è Cœlo pius Antiſtes, quod in cariſſimi ſibi gregis vtilitatem magnus profectò Euangelicæ meſſis

operarius, votum emiſerat : & ſtupentibus ſodalibus Augerij, & Medicis ipſis, à Deo ſanitatem ſupplici, momento reſtituit Vt ipſemet Edmundus teſtatus eſt ſcripto propriæ manus : quod ad noſtram vſque ætatem peruénit. Cuius inſignis miraculi mentio eſt apud plures probatæ fidei auctores.

CAPVT TERTIVM.

Miracula quæ Patrum ætate, & noſtra facta vulgò creduntur.

ANNO milleſimo quingenteſimo octogeſimo tertio : Nobilis puella ſeptennis Antonella de Cabanes, Ruthenæ in domo venerabilis Canonici ex illuſtri Familia Interamnatum, ſiue d'Entraigues, eius ex Sorore Neptis, mortali febre detenta, & à Medicis depoſita : parentum voto, precibus ſerui Dei commendata eſt, coram Familia vniuerſa, & multis qui in eas ædes vbi decumbebat, viſitandi gratia, & opis ferendæ conuenerant. Ipſo ſtatim voti ſuſcepti momento omnino perſanata eſt : & juſſu Auunculi exurgens, è veſtigio, rectà, pedes in Eccleſiam Cathedralem deducta ad ſerui Dei ſepulchrum. Quam rem interpoſito ſolemni jureiurando ipſamet confirmauit, & proprio etiam Chirographo, annis à recepta valetudine ſex & quadraginta. §. 1. *Febris mortalis ex tempore depulſa.*

Eodem illo die, ad idem ſepulcrum : puer à natiuitate mutus, iámque nouennis : lo- §. 2. *Mutus*

à natiuitate loquelā recepit.

quendi vſum recepit : auditúſque palàm diſtinctiſſimè loqui, à magna hominum multitudine : qui eius vtrumque parentem, dum eò filium deducerent, comitati erant.

§. 3. Alius item ad ejus tumulum inter audiendā votiuam Miſsā.

Ineunte ferè ſeculo noſtro, Franciſcus de Maynard, filius item Franciſci Domini de La:e Ruthenenſis ciuis, ab ortu ſuo loquendi facultate caſſus, iam ſupra ſeptennem, ſeruo Dei deuotus eſt. Cuius ad ſepulcrum proxima tunc in ara vbi viuens ſacris operari ſolebat, dum Miſſa celebratur, repentè fandi liberam copiam à Deo accepit. Stupentibus & propinquis qui aderant, & rem jurati ſanctè comprobarunt; & aliis pluribus. Tantúmque illud cœleſte beneficium fuit, támque perfectum, vt etiam (dum litterarum ſtudijs operam daret) princeps declamator haberetur; inter viros deinde vir Eloquens. Cuius rei totius ſuperſunt adhuc fidei probatæ quàm plurimi teſtes.

§. 4. Puella triennis valetudinem recuperat.

Nono anno voluentis ſeculi, in oppido, quod Villa Comitalis dicitur, aliquot ab Ruthena leucis diſſito; repentinus, & ignotus morbus febrientem puellulam triennem, triduo toto loquendi omni prorsùs vſu priuauit. Iámque in extremis agentem, mater concepto voto, Dei ſeruo commendauit, vouítque peregrinationem ad eius tumulum. Orauit ad ſpondam de geniculis; quo in ſtatu dum eſſent inter lacrymas Mater & Nutrix; ægra puellula cœpit clara voce Nutricem proprio nomine ſemel & iterum vocare. Soluta lingua illi eſt omnino, & morbus omnis repulſus ex-tempore. Puellæ nomen erat Carolotta, filia Franciſci d'Atnat Doctoris vtriuſque juris, & Catharinę de Redoulat.

Guilhelmi Vedelli, & Mariæ Alſonnæ filia iam natu grandior; infans tamen præ morbi triennalis grauitate; poſtremum triennij annum totum elinguis tranſegerat, cùm eius pater ac mater, votum in honorem ſerui Dei pro decumbente concepere, pridie Kal. Martias, quod eſt peruigilium celebritatis annuæ Angeli Cuſtodis, à Franciſco apud Ruthenos ſtabilitæ. Tum cùm feſtus daretur campanarum ſonus, memores Inſtitutoris parentes, inſtantiùs precantur. Precantur illi; audit de Cœlo Deus; audit ex-templò ægra, & apud mirabundos quærit, expeditæ vocis & linguæ ſono, quid tandem ſibi vellet feſtiuus ille Nolarum ſonitus. De Angelica feſtiuitate, & tam præſenti interceſſoris ope commonetur, orat, gratias agit ore & corde. Conualeſcit ipſo die, ex integro.

§. 5. *Alia ægra diu & muta perſanata.*

Adoleſcens Nobilis Iacobus du Pré, ex Parœcia S. Siricij in Ruthenis oriundus, cùm in Caſtro Seruariano apud conſanguineos degeret; inter venandum, immani lapſu grauiſſimè læſus eſt, anno ſeculi huius duodecimo; & diſruptâ ad renes venâ, tantùm ſanguinis emittere cœpit, vt continuo fluxu ſcyphos vndeuiginti totos impleuerit. Ad hæc, enormi prolapſione effractis viſceribus, ilia ad ipſa vſque genua dejecta erant. Nec ſiſti ſanguis, nec redintegrari laceratus venter vlla ope humana poſſe videbatur. Itum ergo ad vota Franciſco nuncupanda, ductu maximè nobilis matronæ, de qua priùs, Antonellæ de Cabanes. Nuncupantur. Sanguis illico ſiſtitur, reſtituuntur, & conſolidantur ilia. Diebus exinde aliquot, ſurgit æger, & voti reus pedes, à ſexto

§. 6. *Fluxus ſanguinis & hernia repentè ſiſtitur.*

milliari Ruthenam ad Franciſci ſepulcrum adit.

§. 7. *Grauis, & diuturna mœſtitia depellitur.* Anno conſequenti decimo tertio, perſona item ex nobili Familia, quæ nomen ſuum his tabulis vulgari noluit, vexabatur annos iam aliquot teterrima & penè læthali mœſtitia, quæ, vt ſacræ aiunt paginæ etiam exſiccabat oſſa, & artus eius exedebat manifeſto vitæ periculo. Vbi de præcedenti caſu, & præſenti ope Franciſci noſtri dicentes audiſſet; eiuſdem piè, ac religiosè auxilium implorat: peregrinationem Ruthenenſem vouet Exauditur liberaliter. Omnis mœror detergitur; & reddita animi tranquillitate, vegetatur quoque corpus. Qua animi, corporiſque valetudine, potitur per annos triginta & vltra, toto deinde vitæ decurſu

§. 8. *Franciſci precibus, incarceratus emittitur.* Id opis mœrenti allatum monet vt extra ordinem de ſimili quodam auxilio narrem. Petrus Mommatonus Mercator Ruthenenſis, Toloſæ compactus in carcerem, à creditore nec rem ille domeſticam, nec expedire alienam valens, in vinculis, mœrore conficiebatur immenſo, iam decimum menſem, quòd erat inexorabilis creditor. Ad patronum denique communem recurrit. Vouet ſeruo Dei per dies nouem precationes certas; impendit. Nono die, vltro creditor expediri captiuitate Petrum conſentit. Abſolutus, iam voti reus, & religione ligatus, ad Liberatoris tumulum conuolat.

§. 9. *Colentium ſe, voluntati* Exile quod ſubjicio, ſed opis ferendæ modus non exilis, Franciſci benignitatem deprædicat. Delphina de Mommeje ex vrbe Marcilliacenſi, nuperrimè precatoriam corollam, forma & materia precioſam, extor-

quere ab Patruo conabatur magno ambitu. *obſecun-*
Promiſerat ille frequenter ; ſed donum in *dat Fr.*
dies differebat. Supplex Delphina Franciſcum rogat. Ecce tibi, dum rei ſacræ intereſt Patruus, repentè tantùm impelli ſe diuinitus, quod deinde dicebat, ſenſit, ad fidem puellæ datam liberandam, vt è veſtigio, re diuina peracta, corollam daturus domum adiuerit; ínque manus contradens, animi ſui motum ſubitum illum ac vehementem, penè tamen inuoluntarium faſſus eſt. Ità, non modò Deus, ſed & Dei ſerui diligentium ſe voluntatem faciunt.

Ad grauiora reuocamus ſtylum, & recentia item. Parte Breuiculi huius priore, annotatum à nobis, Franciſcum poſterioribus vitæ ſuæ annis, grauiter laboraſſe ilium exolutorum dejectione, ſeu hernia. Quem quidem morbum tam conſtanti patientia tolerauit Franciſcus, vt videri Deus poſſit compenſare camdem voluiſſe; ſingulari gratia ſanationis eiuſdem in alijs, morbi. Quod de alijs nonnullis ſanctitate illuſtribus hominibus traditur. Vt quo morbo tenerentur ipſi, eodem alios frequenter immunes redderent. Sanationum certè huiuſmodi precibus, vt creditur, Franciſci noſtri, obtentarum, calculos excedit multitudo. Vnam tantùm, & alteram hîc afferam; illi, quæ iam priori capite ſectionis huius tertiæ expoſita eſt annectendam.

§. 10. ilium dejectionem qua viuens laborauerat frequentiſſimè ſanat.

In Abbatia Maſanenſi Ordinis Ciſtercienſis apud Heluios, ſeu Viuarienſes, Domnus Ioannes de Chirols eiuſdem Cœnobita, illo morbi genere annos quatuor dirè excruciatus eſt; adeò vt, ſub annum ſeculi quadra-

§. 11. Religioſus Ciſtercienſis

eo morbo curatur. geſimum octauum, ex doloris vehementia & acutiſſimi & continui in grauiſſimam febrem inciderit; qua lecto affixus eſt plures dies non ſine ſalutis periculo. Iuſſu ſuperiorum ſuorum, vouit pedeſtrem ad Franciſci tumulum peregrinationem. Vix vouerat: atque eum de integro dolor excepit grauior per horas circiter quatuor: tum verò deinde conſequens exinopinatò, & prolixus & ſuauiſſimus ægrum complexus eſt ſomnus. Quo vbi ſolutus eſt: & febris, & dolor, & morbus eſt omnis omnino depulſus. Diffractæ alui, aut ilium procidentiæ nullo admodum relicto veſtigio: quamuis inſanabilis ille antea Medicis morbus videretur. Paucis exinde menſibus votum expleuit: iter triginta leucarum pedes emenſus. Quadriennio autem pòſt confectis tabulis rei ſeriem totam ritè & religioſè volüit eſſe teſtatam.

§. 12. *Eodem Societatis Ieſu Religioſus.* In Collegio Ruthenenſi Societatis Ieſu, Religioſus eiuſdem Societatis inter Adiutores temporales Iacobus Carteyrade iam ſexagenarius, pari ſimiliter morbo leuatus eſt eodem patrono. Eo diuexatus ille fuerat per quinquennium ferè, diriſſimè. Nec vllum ſatis efficax admotum remedium, morbi vi omnem opem vincente. Menſe tandem Februario anni quinquageſimi & ſeptimi, ſpem concepit æger aliquam valetudinis conſequendæ, ex tot quæ tunc temporis Ruthenæ fieri dicebantur miraculis, ad contactum religioſum carthularum aliquot, quas olim Dei ſeruus dum vixit Chirographo ſuo ſignauit. Ex his vnam venerabundus, ac flexis genibus exoſculatus, ductóque eadem ſuper ſe ſigno Crucis, Franciſci patrocinium ſupplicitet

pliciter implorauit, vt religioſæ vitæ, pro ſtatu, & conditione, miniſterijs par eſſe poſſet in poſterum. Exurgens ſpe plenus, cubili ſe ad nocturnam quietem compoſuit. Experrectus, perſanatum ſeſe agnouit; nec dolorem deinceps vllum, nec ſignum inualetudinis expertus eſt. Quamuis per Quadrageſimæ conſequentis dies, communibus cibis, oleo & leguminibus, & aliis paſſim non abſtinuiſſet; quæ veſci antea prohibuerant Medici; æger triennio toto fruſtra vitauerat.

Auſcis in Nouempopulania Rhetoricam profitebatur, anno quinquageſimo primo Pater Bernardus Saubole Societatis Ieſu Religioſus. Quodam cùm die, more ſolito & tempore Scholam ingreſſus heſternæ lectionis rationem repetiiſſet, & ſeſe ad nouam accingeret, repentino incurſu vehementiſſimè exagitari cœpit colicis doloribus. Stetit tantillùm recto vultu inter acres cruciatus; at tanta mox vis doloris ingruit, vt nullus eſſe potuerit diſſimulationi locus. Aduertunt diſcipuli, & ex his grandiores duo, Magiſtrum ad interiores valuas Collegii deducunt, Ianitori contradunt. Adducitur properatò æger in conclaue ſuum, quòd intranti memoria ſubit, chirographi à Franciſco exarati, quod inter pias imagines aſſeruabat. Id ipſum magna fiducia inter preces ſibi in corporis eam partem quâ laborabat, imponit. Reſedit ſtatim dolor omnis. Et vegetus omnino remeauit ad ſuos Rhetor in Scholam. Vix quadrantem horæ tenuit, morbus, ſanatio, reditio. Rem iuratus, manu propria in tabulas retulit Bernardus. Poſt aliquod deinde tempus Ruthenâ iter ha-

§ 13. Alius ex ead. Soc. à colicis doloribus.

bens, venerabundus Patroni tumulum inuiſit.

§. 14. *Religioſus item alius Ciſterciensis.* Non diſſimili morbo, par quoque ſanatio contigit, viro item Religioſo Patri Edmundo Azimario in Cœnobio Bonæuallis Ordinis Ciſtercienſis apud Ruthenos. Eo vexatus eſt & frequenter, & grauiter, grauiúſque in dies. Accerſiti Medici multa præſcripſere, ſed fruſtra. Hæc admota, hæc obſeruata diligenter, nec ſolatio quidem vlli, nec leuamini fuere vlli. Æger ortu Ruthenenſis, ad Ruthenenſium communem patronum ſupplex accurrit. Vouet, ex Maiorum permiſſu, aditurum ſe ex ſuo Cœnobio peditem ad Franciſci tumulum; & quia nondum Sacerdos erat, ſacram Euchariſtiam illic ſumpturum, ad aram proprio cuiuſque Angelo ſacram. Ex quo vouit, miſſa facit Medicorum placita, cibos nullo delectu, obuios quoſque, & qui communiter apponi ſolebant, veſcitur. Ità annuum decurſum tranſgreſſus, nullo ſenſu priſtinæ inualetudinis, Ruthenam voti ſoluendi gratia, petijt.

§. 15. *Iudex Major Ruth. dolore Nephritico liberatur.* Non prætermittendus vir Clarus Petrus de Rey Iudex Maior. vt vocant, Curiæ Præſidialis ab Rege in vrbe Ruthenenſi ante aliquot annos inſtitutæ Menſe Aprili ſupra quinquageſimum ſeptimi, torqueri repentè cœpit Nephritico, & intolerabili viſcerum dolore. Creuítque vis mali ſex totas continuè horas contumaciſſimè. Cúmque inutili conatu, omnis generis medicamenta, fomentáque admouerentur, Æger omni humana ſpe depoſitâ, opem à Franciſco poſtulat; ac vouet nouemdiale ſacrum ad aram ab Franciſco Cuſtodi Angelo erectam. Votum ipſum

nuncupantem adhuc, dolor omnis repentè deſeruit.

Die inde ferè duodecimo, idem à pericu- §. 16.
loſiſſimo etiam morbo vindicatus eſt; febri purpurata, quam dicunt, correptus, elapſo quatriduo periclitari cœpit, communi ſententia medentium, qui ſeptimam ægro diem polliceri non audebant, ad ſalutarem aliquam criſim. Frequens erat, inter augeſcentes febris æſtus, delirium. Pro ægroto vxor pientiſſima matrona, voto ſe atque illum adſtringit non diſſimili ſuperioris. Hoc addit inſuper, primo die, primóque ſacro, vtrumque Euchariſtiam ſumpturum ad idem altare. Vt delirio ſolutus eſt æger, coniugis ille perlubenter votum admittit, atque inſtaurat. Neque diu moratus eſt inuocantem audire Franciſcus. Præter omnem naturæ (vt agnouere Medici) ordinem, tam malè affectum, excepit, ac per horas aliquot continuas conſopiuit tranquilliſſimus ſomnus; ſalutari cuidam, & inexpectato ſudori conjunctus. Qui ſudor deterſus, vim omnem morbi penitus & febris abſterſit.

Idem purpurata & lethali febre.

In eadem Ruthenenſi Curia Conſiliarius §. 17.
Regius Franciſcus de Moiſſety, laborauerat ſubinde non grauiter admodum octo iam annos calculo. Verùm anno ſeculi ſexto & quinquageſimo, ſub ineuntem Aprilem; tantus eum dolor, & cruciatus nulla interpolatus quiete inuaſit per ſeptiduum totum, vt de ſalute actum prorsùs videretur. Octauæ noctis altera ferè de meditullio hora, cùm humanam omnem abieciſſet ſpem, per Franciſcum, diuinam implorat. Promittit, ſi conualeſcat, ſacram confeſſionem, & com-

Senator Curiæ Ruth. à calculo mortali repentè ſoluitur.

münionem, ad ſolemnem aram boni Angeli vbi ſtata ſacra fiunt Patroni ſui. Ipſo verò die cùm primùm diluceſceret fieri ſuâ impensâ rem diuinam ad eamdem aram ſuo nomine curatūrum. Vouit inter fremitus inhorreſcentis corporis : at mox, eum qui tot dies, noctéſque inſomnes omnino traduxerat, benigniſſimus corripuit ſopor, tenuítque horas duas ex ſolido. Dormientis perpetuos artus ſalubris irrigauit ſudor. Sub auroram expergefactus æger, quod pecuniæ promiſerat in rem ſacram tradi iübet ; deterſóque ſudore iterum capiendæ quieti ſeſe componit. Nouus in eum ſudor, ſopórque ingruit; ab hora quinta ferè ad ſeptimam vſqüe. Quo tempore complures ex eius familiaribus, ac propinquis, imprimíſque Medicus ipſe vnà cum Chirurgo, in quieſcentis cubiculum ingreſſi cùm eſſent; ſtatus præſentis ignari, heſterni periculi memores, quaſi ad depoſitum, atque ipſa die periturum. Exiluit de ſtrato Franciſcus, ac perſanatum ſe nunciauit expaueſcentibus, ab optimo & præſenti Patrono Cui mirabili, ac ſtupendæ ſanationi vt fidem faceret, conſuetas bene valentium veſtes induit; inambulauit per conclaue; inter ſuos & domeſticos & ſuperuenientes amicos ipſo die pranſus eſt ; de prandio per vrbem ædes amicorum luſtrauit Non ſecus quàm ſi ab ſpatio ſemeſtri conſtanti valetudine vſus eſſet. Quinto verò ab hinc die, ſine vllo penitùs doloris ſenſu, calculum ipſum repentè effudit.

§ 18. *Ciuis Ruth.* Septimo & quinquageſimo ſupra milleſimum anno, menſem Februarium ferme totum, grauiſſimè ægrotauit ciuis Ruthenenſis

Aſtorgius Soulier Scriba Regius & Procurator. Sub deſinentem eumdem menſem, miniſtrantium, & medentium vno ſenſu ad extrema redactus; ac poſtrema vnctione delibutus Kalendis Martijs, de ſolo è vita diſceſſu cogitabat; inter preces ad Patronos fundendas, aduertit, diem eſſe illum celebritati annuæ Cuſtodis Angeli deuotorum, ac dedicatum ab Franciſco noſtro. Spes inde eluceſcere cœpit. Promittit nouendialia ſacra poſtridie inchoanda; totidem ſi conualeſcat, ac præſentem ex cera corporis humani figuram. Ea verò, quaſi in anteceſſum ad Cathedralem ædem delata, momento ipſo meliùs habuit; depulſum omne periculum Medici deprehendere; præter omnes naturæ leges. Aſtorgius breui reſtitutus priſtinæ valetudini, multo cum plauſu ciuitatis vniuerſæ, cui propter ſingularem, & notam integritatem cariſſimus eſt, nouem illa alia ſacra præſens celebrari curauit. *in extremis agens, liberatur.*

§. 19. *Geminæ fiſtulæ curatio.*

Erat porrò Aſtorgio Franciſcus, vltra communem ortus Ruthenenſis ſortem, domeſticus à puero Patronus: cuius erat in tenella ætate præſentiſſimam opem expertus, geminæ ad vtramque plantam fiſtulæ curatione. Nuperrimè item: hoc eſt anni præcedentis quinquageſimi ſexti Septembri menſe: Filius eius Domnus Petrus Soulier Carthuſianus, nondum ſacro initiatus Preſbyteratu, ſed Diaconus dumtaxat, à moderatoribus iuſſus comparare ſeſe ad profectionem inſtituendam, poſtremi ordinis ſuſcipiendi gratia, ægrotare grauiter cœpit ſura intumeſcente. Decumbentem inuiſit Aſtorgius pater, & ipſo in ſellam aditu, flexis ex more genibus *Carthuſianus à graui tibiæ tumore, ſanatur.*

cùm precationis aliquid præmitteret, ſenſit moueri ſeſe diuinitus ad votum pro filio faciendum, non ſine certa quadam animi fiducia. Mentem filio detegit, probat venerabundus ille. Poſtera die Aſtorgius pater ad altare conſuetum, ſacrum audit: diuina, ex voto participat, cereàm tibiam in anathêma deponit. Conualeſcit eodem die filius: tibia detumeſcente: atque altero deinde die itineri ſe committit, eadem qua ſodales & comites virium alacritate, & firmitudine.

§. 20. *Arida crura perſanantur.* Ante aliquot annos Auinenſiæ Cambolaſſiæ Ruth. filia triennis, præ crurum imbecillitate ſtare in veſtigio ſine fulcro, aut ingredi nullo modo poterat. Eam mater ad Franciſci tumulum detulit: inde ad aram proximam vbi olim facere ſolitus Franciſcus: dum Miſſam ex voto audit, ſub rei diuinæ finem, erigit ſeſe virguncula in pedes, ſtat rectò corpore, inambulat: nec deinceps ſimilem vllam debilitatem ſenſit.

§. 21. *Paralyſes.* Longè antea, filius quinquennis Franciſci Guiberd, & Catharinæ Caluette, ciuium Ruth. paralyticus ab vmbilico ferè infrà, ſanatus eſt, poſtquam à matre, ſepulcro viri Dei impoſitus eſt, religioſa cum veneratione, & Franciſci patroni pia inuocatione.

§. 22. *Suffuſio oculorum.* Non ità verò pridem, Guilhelma Caſta ex Oppido ſancti Auſtremonij Ruthenorum orta, diutiſſimè vexata humoris peracris ſuffuſione, ſic demum caligare cœpit, vt neque greſſum regere, neque vel vno à ſe paſſu quamtumuis craſſa corpora diſcernere valeret. Poſt aliquot tranſactas in eo quaſi crepuſculo malignas luces, etiam obſcuriùs illi noctеſcere. Vereri proinde puella ancil-

lari conditione, proximam cæcitatem, ac nimirum mendicitatem, ſi famulitio exire cæcitas cogeret. Opem ergo opem illacrymans Franciſcum rogat: & inter offendendum, palpandúmque parietes vicorum notos, ad ædem denique Cathedralem, & ſepulcrum ſalutiferum adit: irrorat lacrymis. Illinc ad aram ſolitam, ex voto Miſſæ intereſt. Illâ nondum abſolutâ, diſcuſſæ ſunt ex oculis tenebræ, omnia clareſcere etiam longè poſita cœperunt.

Conſiliarij Regij apud Ruthenenſes Amantij de Gibron, & Eſtheris de Cat filia octodecim annorum Maria nomine, triennium ferè phthyſi laborauerat: & fruſtra multiplicem Medicorum operam experta, ſacris perfuncta omnibus, diem extremum opperiebatur, menſe Martio anni quinquageſimi ſeptimi: cùm ad aſylum commune confugiendum cenſuere & mater afflictiſſima, & ægra filia. Vouent ex more nouena ſacra, cereum ſigillum, & piam ad ſepulcrum ſupplicationem. Inchoantur poſtridie ſacra: fiunt conſequentibus diebus ſingula, nec tantillùm leuari ſe ægra videt. Subit ergo animum dubitatio, de Franciſci apud Deum gratia: aut de eiuſdem in ſe benignitate. Hæret anxia Maria nonnihil. At ſuperueniente mox de Cœlo luce, damnauit omnem hanc dubietatem: & bona Matris venia, etiam decimam promiſit Miſſam, magno animi feruore: pari fiducia & ſenſu pietatis Mater. Ea celebrata, ſenſit ægra ſtatim leuari ſe: ac breuì omnino conualuit. Stupente immensùm, & liberaliter gratulante ciuitate vniuerſa. §.23. *Phthyſis.*

§. 24. *Puerulus in extremis agens inter votiuum ſacrum reſtituitur.* Anno eodem Maijo menſe, Hugonis Lauergne Ruth. ciuis, & Catharinæ Cabrieres, lactens adhuc filiolus, octiduum morbo grauatus, poſtremo in agone cum morte contendere viſus eſt biduo toto, omnium & Medicorum, & Matronarum ſollicitantium judicio. Pater ex voto ad conſuetam aram, ſacrum audit. Domum cùm redijt valentem filium reperit, omni prorsùs depulſo diſcrimine; eorumdem qui antè damnauerant ſententiâ, & admiratione.

§. 25. *Alius item.* Eodem pariter anno & Iulio menſe, diuinitus quoque, Franciſci, vt creditur, patrocinio, eodémque loci, puerulus alter Franciſcus Calmette, Franciſci alterius filius, nepos Antonij inſignis & experientiſſimi Pharmacopolæ, præſentiſſimæ morti ſubductus eſt. Febre decumbebat dies iam pluſculos acutiſſima, & quæ omnem vinceret opem medicamentorum, quæ Auus ſolertiſſimus adhibebat omni cura. Tandem Kalendis Iulij ſub horam matutinam ſeptimam, eiuſdem Aui ſententiâ, de puero in extremis agente ſpes omnis humana depoſita eſt. Adit ergo Antonius pro ſalute nepotis oraturus ad Franciſci ſepulcrum, rem diuinam fieri curat pro eodem. Vt eſt abſoluta, domum remeat ſollicitè, nepotulum poſtremò, vt verebatur, oſculaturus. At ecce dum limen intrat, &, mortuus ne eſſet ſciſcitatur? audit ab exultante familia, quieſcere ſuauiſſimo ſopore delibutum Franciſcum. Tantáque ſecuta eſt valetudinis firmitas, vt altero deinde die, liberè per vicum, inter ſtupentes vicinos, cum gerula circumferre non dubitauerit.

Neque

Neque diſpar eſt, quod ſubiungo receptæ, ſupra vires naturæ, valetudinis exemplum. Anna puella viginti circiter trium annorum, Gaillardi Guarrigues, & Guilhelmæ Carbonellæ, Rozæ cognominatæ, filia, ex Canjaci in Ruthenis parœcia, oppidóque Boſco oriunda, illic in paternis ædibus per trimeſtre, & amplius ſpacium, dirum in modum uexata eſt, morbo quodam ignoto, niſi quòd vim ſuam ille plus nimio notam faceret, perpetuo per omnes puellæ artus tumore, támque enormi illo, vt ipſi adeò oculi, ipſæ aures, fauces ipſæ immaniter obſiderentur, cum vehementi ac jugi corporis totius cruciatu. Medentium igitur inanes omnes fruſtrata curas, ad extremam vitæ periodum deducta eſt decimo nono Aprilis, eodémque ſeculi anno quinquageſimo & ſeptimo. Spe omni prorsùs abiecta, parentes qui ſingulis momentis filiæ obitum anxij præſtolarentur, iam ea quæ ad ſepulturam neceſſaria ſunt, comparauerant, vt in oppidis ſcilicet, aſſeres, Sudarium, cereos, alia: cùm ſuperuénit Parochus, recens ab Synodo Ruthenenſi, in qua, multa de Franciſci recentibus miraculis, inaudiuerat; ea ille apud ægram & parentes deprædicat, ſpem elicit, & votum, ſi conualeſcat puella, recitaturam illam anno toto corollam Marianam, inter inuocandum Franciſci nomen; deducendam eamdem ad eius tumulum. Votum, ex tempore valetudo conſecuta eſt. Detumuit illico totum corpus, abſceſſit febris omnis: biduo pòſt in pedes ſtetit Anna, precariam corollam decurrere inſtitit. Ruthenam paulò deinde pòſt conuénit ad Liberatoris ſepulcrum.

§.26. *Puella grādior dum funebria parantur, repentè conualeſcit.*

P

§.27. Denique tantus eſt numerus eorum, qui poſterioribus hiſce annis, Franciſci noſtri ope ſanati dicuntur, vt iniri vix poſſit: edi verò typis, & enarrari quæ præter naturæ ordinem contigere ſingula, & prolixum illud, & propter rerum ſimilitudinem faſtidij pleniſſimum. Affirmari vniuerſim poteſt; Sedatos repentè dolores acerbiſſimos, renum, viſcerum, ilium, dentium, oculorum paralyſes, pleuritides, tormina, ſanguinis fluxus, putridas & peſtilentes febres; atque alia morborum, propter grauitatem lethalium genera, inter ipſa ægrotantium vota, in oſculando tumulo, in contactu Chirographi, perſanata eſſe ex temporè, ac frequentiſſimè. Horum aliqua in tabulas publicas, ritè, religioſéque relata ſunt, poſt legitimam quæſtionem ab Ordinario inſtitutam. Ex quibus actis pleraque omnia nos excerpſimus quæ ſunt in hoc Breuiculo enarrata; dum paria in ſingulos dies contingunt, memoriâ ſeculorum non indigna.

Curatio frequẽs omniũ ferè morborum.

Eccli. 36. 6. ex ſept. *Innoua Domine ſigna, & immuta mirabilia. Amen.*

SPIRITVI SANCTO VOTVM.

FONS vnice, & inexhauſte Sanctitatis omnis, à quo Virtutum exempla, non minùs quàm Miracula fluunt; effunde in animos noſtros, ardens Sanctimoniæ ſtudium. Et quos maximè ad ſacra miniſteria, & ad populorum Sanctificationem, vocas; eoſdem peremnitate gratiarum tuarum, per merita, & interceſſionem Sanctorum tuorum, ad veram, & ſinceram eorum imitationem fœcunda. Amen.

PROTESTATIO AVCTORIS.

CVm Sanctiſſimus Dominus noſter VRBANVS VIII. decreuerit vt non admittantur Elogia Sancti vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam, bene tamen ea quæ cadunt ſupra mores & opinionem, cum Proteſtatione in principio, & fine, quòd ijs nulla adſit auctoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantùm ſit penes auctorem. Huic decreto, eâ qua par eſt obſeruantiâ, & reuerentiâ inſiſtendo, profiteor me haud alio ſenſu accipere, aut accipi ab vllo velle, quidquid in hac vita, ſeu vitæ Breuiculo refero, quàm quo ea ſolent, humanâ dumtaxat authoritate, non autem Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, referri, à ſtudioſis Hiſtoriæ veritatis cultoribus, qualem ego me jure meo profiteor.

INDEX

EORVM QVÆ HOC BREVICVLO CONTINENTVR.

PARS PRIOR.

CAPVT I.

Franciſci Ortus, & Nobilitas.

STANNICA domus, jam inde ab annis octingentis Nobilis. Mores Familiæ. Regiæ, ſeu Liliatæ parmæ jus ei conceſſum; vnde. PETRVS DE STANNO Cardinalis. Familiæ merita in Sedem R.

CAPVT II.

Franciſci Indoles, & Educatio.

ranciſci præclara indoles. Educator. Ratio educationis; & ſtudiorum, verè Eccleſiaſtica.

✠

CAPVT III.

Profectio Italica, &c.

Franciſcus luſtrat academias Italiæ. Creatur Doctor. Recuſat Senatoriam dignitatem Comparat ſe ad Sacerdotium. Fit Abbas Monaſterienſis. Cooptatur in Magnum Concilium. Ejus fama ſingularis.

CAPVT IV.

Electio, & Confirmatio.

F. Eligitur omnium votis. Reluctatur. Dilationem conſenſus obtinet. Ejus mira pietas. Cæleſtis ſolertia. Humilitas admittentis. Populi in eum amor. Aduerſarij, & Competitores. Veneratio S. Sedis.

CAPVT V.

Orator à Rege Romam adit.

Muneris Epiſcopalis amor. Angelus Magni Concilij vocatur. Romam proficiſcitur. Ejus in Sedem Apoſtolicam ſtudium. Auenionenſem Legationem regit.

CAPVT VI.

Quomodo in Legatione ſe geſſerit. Amor in Diœceſim. Mirabilis animi ſenſus in plebem. Elogium boni Epiſcopi.

✠

CAPVT VII.

De ſtudio Reformationis, &c.

Reformatio Cleri. Franciſcus norma Clericorum. Ejus Prudentia, & efficacitas in procuranda reformatione.

CAPVT VIII.

De ſtylo Epiſcopalis fori.

Monumentum in Choro. Cura æquitatis. Franciſci integritas. Axioma diuinum.

CAPVT IX.

Cura rerum tempor. Eccleſiæ.

Fr. erga Eccleſiam ſuam optimus paterfamilias. Cæleſtis omnino liberalitas. Iura Eccleſiæ Ruth. confirmari curat. In nouis ſubſidijs quomodo ſe gereret. Reuerentia erga S. Sedem.

CAPVT X.

Qualis in publicis calamitatibus.

haritas verè paterna. Peſtis tempore præſentem operam plebi commodat. Ejus liberalis ſolertia. Virgines dotatæ. Literis, omnium charitatem pro-

✠

uocat. Statuta in publicos peccatores. Supplicationes decretæ in ſeptem m. peccata. F. Tertianorum veſtem induit. Ejuſdem alia pietatis, & charitatis officia erga lue laborantes. Veneratio erga S. Pontificem ſingularis.

CAPVT XI.

Viſitationes Diœceſis.

Has præfert Fr. alijs omnibus miniſterijs. Etiam cum periculo, & damno valetudinis. Mirabilis ejus hac de re ſenſus. Inuictus animus in perferendis viſitationum laboribus. Quomodo ſe ad eas compararet. In ijs exacta omnium cura.

CAPVT XII.

Reformatio Kalendarij, &c.

Erga Romanam Eccleſiam ſingularis veneratio Cultus B. Virginis Fr. Miſſam de Angelo Cuſtode primus celebrat.

CAPVT XIII.

Ejus obitus, Elogium, Sepulcrum.

F. inter viſitandum morbo corripitur. Ejus Elogium. Populi in eum amor, & veneratio. Inſcriptio ſepulcri.

PARS

PARS SECVNDA.

De præcipuis Franciſci Virtutibus.

CAPVT I.

Liberalitas & Magnificentia.

§. 1. FRanciſcus in ſacra omnia magnificus.
2. Erga Eccleſiam Cathedralem.
3. In ædificationem turris Nolanæ.
4. Creditur ope Angelorum adjutus.
5. In Diœceſim vniuerſam.
6. In loca ditioni ſuæ ſubdita.

CAPVT II.

Pauperum Amor.

§. 1. Vita Franciſci, pauperum amor. Fr. Pater pauperum cognominatus. Parcè ſecum, liberaliter cum alijs agit. 2. Eruditus ad hoſpitalitatem. Cibo, & verbo diuino paſcit pauperes. 3. Quomodo bona temporalia diſtribueret. Cæleſtis verè ſolertia 4. Bona curat, non vt ſua, ſed vt pauperum 5. Annulum & adamantem egeno donat. 6. Sumptus inutiles reſecat. Parcè victitat, vt liberalius largiatur. 7. Statas apud majores largitiones enixè tuetur. Patronus pauperum in Senatu. Apud Regem. 8. Charitate omnes egentes

✠

complectitur. 9. Egentium infirmorum cura. 10. Materna prorſus pietas. Moribundos aſſiduè juuat. 11. Singularis charitas in egentes pueros, à Deo compenſata miraculo.

CAPVT III.

Zelus & Charitas in Deum.

§. 1. Franciſci zelus, ſuis omnibus numeris abſolutus. Zelus ſyncerus. 2. Imitatio Angelorum. Sublimia curat, &c. 3. Infima, zelus ejus. Omnia complexus, quæ ad Dei gloriam. 4. Zelus ejus, quomodo ardens ſimul & conſtans. Laboribus Apoſtolicis aſſuefactus. 6. Erga immunes, & loca immunia quàm æquus Fr. 7. Suorum inordinatum zelum reſpuit. Et inimicis, etiam atrocibus fauet. 8. Zelus circa teneram ætatem.

CAPVT IV.

De Pietate, & guſtu rerum Cæleſtium.

§. 1. Prima pietas, ſui pro Deo cura. 2. Studium orationis. Colloquia pia. 3. Amor ſancti ſeceſſus. 4. Pietas in animas defunctorum. 5. Piæ ſolitudinis gratiâ, cœnobia frequentat Fr. Ejus ſyncera pietas. S. Franciſci Aſſiſ. imitatio. 6. Cingulum Tertianorum induit. 7. Cultus B. Virginis. 8. Gentilitiam parmam B. Virginis ſtatuæ, ſubijcit. 9. Habitus ad pietatem compoſitus. 10. Cultus Angelorum. 11. Mortis meditatio, & paſſionis Chriſti aſſidua,

CAPVT V.

Fr. Caſtitas, Auſteritas, Mortificatio.

§. 1. Franciſci Virginitas. 2. A prima ætate. 3. Quibus præſidijs ſepta. Perpetua 4. Franciſci ſobrietas & auſteritas. 5. Piæ, & aſſiduæ vigiliæ. Victoria ſui.

CAPVT VI.

Manſuetudo, & humilitas.

§. 1. Conſortium mortificationis & manſuetudinis. 2. Animi tranquillitas; vnde Franciſco ſingularis. 3. Morum, & gubernationis, mira ſuauitas, & efficacitas. 4. Animi moderatio inter ſuos. 5. In aduerſarios. 6. Manſuetudo ſingularis. 7. Erga admonitores etiam grauiores. 8. Veneratio Sedis Apoſtolicæ. Injuriarum obliuio. 9. Amor inimicorum. 10. Beneficentia erga inimicos, vel atrociſſimos. 11. Humilitas in excolendis infimæ ſortis hominibus. 12. Stupenda humilitas. Imitatio Chriſti. 13. Dilectio peculiaris inimicorum. 14. Injuriarum condonatio. Et Benignitatis illuſtre exemplum.

✠

PARS TERTIA.

Fama Miraculorum.

CAPVT I.

In Vita.

§. 1. MVltiplicatio tritici, in gratiam pauperum.
2. Panis candidus in nigrum repentè conuerſus; & rurſus priſtino candori reſtitutus.
3. Herbæ noxiæ in perpetuum extirpatæ, ſola Franciſci imprecatione.
4. Nolæ concrepant, nemine quatiente cùm Franciſcus adit ad Eccleſiam.
5. Fons perennis ex rupe mirabiliter excitatus.

CAPVT II.

De Miraculis antiquioribus poſt ejus obitum.

§. 1. Populi fiducia in ejus meritis, & interceſſione.
2. Ejus memoria, ſtatim ab obitu, piè recolitur.
3. Frequentia Miraculorum.
4. Illuſtre teſtimonium.
5. Surda, & Muta à natiuitate puella, ſanatur.
6. Inter labendum è tecto, quidam in aëre ſuſpenſus retinetur.

7. Prolapſa ilia; reſtituuntur hernioſo.
8. Puer juſſus refigere anathemata, terretur repentino viſcerum cruciatu.
9. Idem experitur Cardinalis Armaniacus.
10. Emundus Augerius S. I. ab ægritudine lethali ſanatus.

CAPVT III.

Miracula Recentiora.

§. 1. Febris mortalis extempore depulſa.
2. Mutus à natiuitate loquelam recipit.
3. Alius item ad ejus tumulum, inter audiendam votiuam Miſſam.
4. Puella triennis valetudinem recuperat.
5. Alia diu ægra & muta, perſanata.
6. Fluxus ſanguinis, & hernia derepentè ſiſtitur.
7. Grauis, & diuturna mœſtitia depellitur.
8. Franciſci precibus, incarceratus, emittitur.
9. Colentium ſe voluntati, obſecundat Franciſcus.
10. Ilium dejectionem, qua viuens laborabat, frequentiſſimè ſanat.
11. Religioſus Ciſtercienſis eo morbo curatur.
12. Eodem; S. Ieſu Religioſus.
13. Alius à colicis doloribus.
14. Religioſus item alius Ciſtercienſis.
15. Iudex major Ruth. dolore nephritico liberatur.
16. Idem purpurata, & lethali febre.
17. Senator Curiæ Ruth. à calculo mortali repentè ſoluitur.
18. Ciuis Ruthenenſis, in extremis agens, repentè liberatur.

19. Geminæ fiſtulæ curatio. Carthuſianus à graui tibiæ tumore liberatur.
20. Arida crura perſanantur.
21. Paralyſes.
22. Suffuſio oculorum.
23. Phthyſis.
24. Puerulus in extremis agens, inter votiuum ſacrum, reſtituitur.
25. Alius item.
26. Puella grandior, dum funebria parantur, ſubitò, conualeſcit.
27. Curatio frequens omnium ferè morborum.

FINIS CVM DEO.


S. ZENO
Pater Piſtorienſium